



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber VI. De motu multiplici corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

LIBER SEXTVS

D E.

Motu multiplici corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem quantitatem loci, & è contrario: siue de rarefactione & condensatione.

CAPVT PRIMVM.

Nostra ac verior sententia proponitur.

1. **M**OTVS bifariam accipi potest. Primò latissimè, pro actione, qualiscunque demum sit: cum enim munus actionis sit, rem à non esse ad esse mouere, & transferre; inde est quod actio haud rarò motus appelletur: & hac ratione Deus; quia primum agens est, primus etiam motor solet nominari. Secundò magis stricte, pro actione, & passione simul, & in complexo, vt ita loquar, sumptis; vt motus sit totum id, quo formaliter causa actiua agit, passiuamque mouet, quoque causa passiuia patitur, & ab actiua mouetur: atque hoc pacto Aristoteles apud Conimbricenses lib. 2. & 3. phys. q. 2. num. 2. definit motum; est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est. De motu igitur hac posteriori ratione sumpto, eiusque variis speciebus agendum nobis in presenti est.

2. Ac primum de motu rarefactionis, & condensationis: tum autem aliquid rarefit aut condensatur, cum sub iisdem omnino materiæ partibus modo ad exiguum loci spatium contrahitur, modo ad maius extenditur: quapropter solum id quod corporeum est, & quantitatem habet molis, atque per vibrationem circumscriptiuam partibus loci partes suas coarctat, & accommodat, motum hunc rarefactionis, & condensationis subire potuit. Porro difficile explicari est, quatenus eadem omnino materia modo maiori, modo minori spatio loci circumscribi possit, quin aliqua sui parte multiplicem locum adæquatam occupet, aut certè, quin pristini spatij partem aliquam vacuum relinquat, vt ad nouam se se extendat: hic Rhodus, hic saltus.

3. Antiqui omnes Aristotelis sectatores idcirco existimant, corpus aliquod vi rarefactionis ad maius loci spatium, quàm antea extendi, quia quantumlibet exiguum sit, infinitas tamen partes habet: infinitudo autem partium nulli spatio impar est, nulliusque magnitudine aut extensione superari potest: quare infinitas partium materiæ, quæ in angustiis alicuius spatij contracta est, si

per rarefactionem se se explicet, multo maius spatium, quàm antea implere, potest. Pari ratione docent, ideo corpus aliquod vi condensationis ad minus spatium, quàm antea redigi, quia infinitas loci, quæ in eius eriguitate latet, cuius moli corporeæ par est: ac proinde quamuis numerositatem partium materiæ capere potest. Postquam autem Aristotelis philosophia, Ecclesia quasi ciuitate donata est atque ad explicanda fidei nostræ mysteria præ cæteris recepta; non omnes Aristotelici hanc sententiam sequuntur, vt inferius constabit; plerique tamen & nobilior eam tuerentur, præsertim verò Beatus Thomas, & communiter eius discipuli, quibus adde nostros auctores ferme omnes, si pauci recentiores excipiantur.

4. Hinc etiam explicandæ rarefactionis, & condensationis modum ipse amplector, & suppositis principiis Aristotelicis de infinitate partium continui, eam verissimam esse, arbitror. Primò namque infinitæ lineæ à circulo maximo & supremo alicuius corporis sphericæ, & globosæ per circumferentiam inferiorem, & minorem vsque ad centrum eunt: at in circulo inferiori, & minori non coeunt, nec penetrantur; sed potius absque nulla penetratione ad maiores, quàm antea angustias rediguntur, videlicet quia non minus infinitus est vnus circulus, quàm alter, ac proinde easdem lineas vterque capere potest: ergo similiter eadem materia prima vi condensationis à maiori spatio ad minus absque vlla penetratione cogi, poterit: cum vtrūque spatium proportionaliter infinitum sit. Pari ratione infinitæ lineæ à centro ad circumferentiam superiorem redeunt, & ab angustis circuli inferioris ad maiorem extensionem & amplitudinem superioris ascendunt: quidni igitur corpus aliquod vt rarefactionis à minori spatio ad maius spatium occupandum moueri possit? & quemadmodum lineæ illæ à centro ad circumferentiam eunt, atque redeunt, nec in minori circulo penetrantur, vt aiebamus: nec in maiori circulo eius punctum vllum vacuum relinquunt: sed potius ad quoduis terminantur, & à quouis deducuntur; ita similiter cum corpus aliquod vi condensationis contrahitur, aut vi rarefactionis extenditur, nulla partium loci vacuitas, nulla partium rei penetratio admittenda erit.

5. Deinde infinitæ lineæ à costa ad costam quadrati

drati per eius diametrum ductæ modò pluribus punctis, modò paucioribus punctis respondent, & commensurantur: pluribus, cum per diametrum pergunt: paucioribus, cum ad alterutram costam terminantur: ac proinde nunc extenduntur, nunc contrahuntur; ita tamen; ut nec diametri, in quo magis extensa, atque inuicem distantes sunt, punctum aliquod vacuum relinquunt; nec costæ, in qua redduntur magis contractæ, punctum aliquod plures simul tangant, in eove penetrentur: ergo similiter cum quoduis corpus infinitas habeat partes, merito illarum modò ad maius spatium, modò ad minus contrahi poterit, quin aliqua inde vacuitas, aut penetratio sequatur. Alia similia mathematica exempla, breuitati consulens, præmitto.

6. Præterea si infiniti homines ab hoc gymnasio versus orientem suo ordine collocentur, infinitum spatium versus orientem tantum occupabunt: at iidem numero homines nullo alio adiecto ratione alterius collocationis occupare poterunt spatium infinitum versus orientem, ac simul versus occidentem, idque, quin in alterutro situ vel duo homines penetrentur; vel spatium aliquod homine illud occupante vacuum sit; ut libro sequenti, cum sermo fuerit de infinitate corporis naturalis, & ratione & autoritate P. Vasq. & aliorum confirmabimus. Pari ergo ratione quoduis corpus merito infinitatis, quam habet, nulla penetratione admissa, nulla vacuitate relicta, modo maius, modo minus spatium occupare poterit, prout modo rarefcit, modo condensatur: quemadmodum enim se habent infiniti homines ad spatium infinitum versus maximum, ita se habet quoduis corpus ad spatium infinitum versus minimum: quale quidem est omne spatium, ad quod, vel raritas extendit, vel densitas contrahit. Deinde collectior infinita pœnarum, quas reprobus aliquis passurus est æternum, modò respondet, vel potius responsura est infinitis instantibus inchoantibus ab instanti *A*inclusiue, in quo ille pœnas suas luere cepit: quod si mille retro annis luere cœpisset, eademmet collectio pœnarum non solum his instantibus, quibus modò; sed præterea instantibus mille annorum respondent, & in eo euentu nullum instans pœnæ vacui foret: & modò plures pœnæ in nullo instati penetrantur, ut in loco, nisi fallimur aperte demonstrabimus: ergo similiter in præsentī &c.

7. Vltèrius argumentor ad homines contra aduersarios, quorum plerique infinitum diuiduum esse, censent, & tamen ad explicandam eius raritatem & densitatem, omiſſa partium infinitate, vel ad acquisitionem vel amissionem quantitatis, vel ad fluxum, refluxumque corpusculorum, aliaue dogmata recurrunt. Nam iuxta Aristotelis sententiam, quam ipsi admittunt, si aquila, v.g. & testudo eodem tempore continuò moueantur, & nullas morulas texant, motus vtriusque æquales partes determinatas habebunt, cum æquali temporis spatio respondeant: at alter eorum motuum velocior est, & plus loci percurrit quin tamen ob id aliqua pars etiam indeterminata, & proportionali loci motu vacua sit, eove non tangatur: contra verò alter est tardior, & minus spatij conficit, quin propterea aliqua eius partes in eodem loco penetrentur, in eove quiescant. Huius autem ratio alia non est, nisi infinitas motus, & spatij: Hinc enim est, ut æquales motus inæqualia spatia absque penetratione aut vacuitate eodem tempore

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

transcurrant. Mirandum igitur non est si vnius libræ cera condensata minus spatium sine penetratione occupet, alterius verò libræ, & non maioris ponderis, aut quantitatis cera rarefacta multo maius spatium loci absque vllis vacuitatibus interiectis occupet, cum partes spatij, & partes ceræ pariter infinitæ sint.

Hoc idem argumentum paulò aliter propono. 8. Aquila, & testudo inæquali tempore æquale tamen spatium loci conficiunt, & quantum spatij aquila vna hora euolat, tantundem testudo vno mēse v.g. serpit: in hoc autē euentu motus vtriusque sunt æquales, cū partibus loci prorsus æqualibus commensi sint, & tamen alter eorum motuum maiori spatio temporis correspondet, quin tamen vlla particula etiam indeterminata temporis motu vacua sit, cum, ut supponimus, vtrumque mobile continuò moueatur, parique ratione alter eorum motuum minori spatio tēporis correspondet, quin tamē duæ partes eius motus in eodē tēpore, etiam indeterminato penetrentur: aliàs non motum; sed quietem efficerent: ergo similiter in præsentī, &c. quapropter licet velocitatem, ac tarditatem motus per vacuitates indeterminatas maiores aut minores in ordine ad tēpus & locum suprà libro tertio exposuerim, idque mihi impræsentiarum etiam placeat, probabile tamen arbitror munere solius infinitatis independēter ab omni vacuitate etiam indeterminata, ac secundum quid motuum inæqualitatem explicari posse, velut etiam explicatæ manent ibidem.

Vltèrius argumentor ex lente conuexa teleſcopij Belgici, & charta, qua imago cœli, aut alterius rei per foramen excipitur; nam lens, seu vitrum conuexum maximi, ac longè latèque difusi obiecti imaginem adeo distinctè, & afabrè describit in exigua papyro, ut omnium partium figura oculis secernere possis: si frondosa arbor obiciatur; munere huius dioptræ omnia folia in numero erunt: si magnus ager; omnes spicas distingues: si quod tegit omnia cœlum; ingentis hemispherij stellæ omnes; colores omnes minimæque particule inuicem distinctæ apparebunt. Cum ergo infinitas exigua chartæ effigere possit, ut innumera prope imagines in ea describantur, & ad breuissimi spatij angustias absque vlla penetratione redigantur; cui ipsæ partes per condensationem à maiori spatio ad aliud valde angustius impenetratæ cogi nequeant; & cum quodlibet corpus similiter infinitum sit, cur eius exiguitas cuius spatij loci par esse nequeat? Postremo argumentor à priori vnum infinitum alio proprie maius, aut minus non est, ut infra libro 7. declarabo: cum ergo quoduis corpus, & quoduis spatium infinitatem quandam partium habeant, certè proportionem habere poterunt: & exiguitas cuiusuis spatij munere raritatis æquare poterit: & contra exiguitas cuiusuis spatij per densitatem quantitatis magnitudinis corpori suscipiendo par erit.

16. Quemadmodum autem ex his, quæ de raro & denso differuimus, alium modum explicandæ inæqualitatis motuum insinuaui; ita ex his, quæ de inæqualitate motuum suprà edocui, alium modum cumque faciliorem explicandæ rarefactionis & condensationis deducere lubet. Dici ergo potest, cum quantitas aliqua rarefcit, plures loci partes indeterminatas

Y fer

seu inadæquatas ab ea inoccupatas relinqui; & quo plures fuerint, eo corpus magis rarefcere: eiusmodi autem vacuitates simpliciter tales non sunt, quia nulla pars spatij assignari potest, in quo aliqua quantitatis particula non sit, tamen in tota illa non sit: collatæque spatio loci cum quantitate in quavis parte spatij, à Deo visa, est, & non est aliqua quantitatis pars, penes aliud semper, & aliud eius spatij: id quod ex dictis superioribus de infinitate partium quantitatis, & loci liquet. Pari ratione, cum corpus aliquod condensatur plures partes, indeterminatæ & inadæquatæ spatij antea intactæ, & inoccupatæ, denuo tanguntur, & occupantur; quin propterea aliquas partes corporis inuicem penetrari oporteat, ut inuenti constabit.

11.

Fateor, totam huius sectionis doctrinam arduam, ac difficilem esse: difficultatem parit infinitas partium continui, quam intellectus noster, cum finitus sit, comprehendere nequit: ac sufficiat manifestis argumentis eam à nobis deprehensam esse, ut quæ de raro, & denso edocuimus, velut certa, & indubitata teneantur.

CAPVT II.

Argumenta contraria solvuntur.

12.

Opponunt tamen aduersarij primò: si corpus aliquod sexuplo maius spatium occuparet, cum rarefcit, ob solam infinitatem partium, quæ quoduis spatium occupare possit; sequeretur, aquæ guttulam in tantum rarefieri posse, ut totos Oceanus impleret, & usque ad eundem extendi posse, ut in ea tempestates cieri, prælia committi, longè nauigationes institui, ac magnæ insule emergere possent: consequens autem nimis ridiculum videtur.

Respondeo tamen, diuina virtute id fieri posse, quod ex nostra sententia inferitur. Ita omnes ferme antiqui philosophi non solum Aristotelicæ disciplinæ, sed & aliarum sectatores. Vnius Chrysippi verba sufficiant: *Cyathus*, inquit, aut etiam gutta vini, quæ mare Aegæum incidisset, potest hætenus extendi, ut totum mediterraneum usque ad Oceanum, nec tantum secundum superficiem; sed etiam totam quauersus profunditatem posset penetrare. Ita etiam Augustinus in dialogo 65. questionum questione 27. ibi. *Videmus*, inquit, quotidie aquam tenuatam in vaporem tolli ad superiores partes aeris, quæ si magis etiam, magisque renouaretur, celsiora quoque loca peteret: Cum igitur philosophi doceant, omne corpus in infinitum rarefcere, ac diuidi posse, etiam poterit in infinitum fieri leuius, & ad quamcunque locorum sublimitatē sub tolli: quæ verba nostro instituto facillè accommodari poterunt, si pro maiori leuitate maior extensio substatuatur. Cæterum naturaliter fieri non posse, ut aliquod corpus per rarefactionem in infinitum extendatur, experientia constat: videmus enim quotidie, cum nimis rarefcit, & extenditur, naturaliter, petire & in vaporem, & mox in aërem euanescere: id quod tradit etiam Beatus Thomas 1. p. q. 68. art. 2. in hæc verba, quod dicunt de rarefactione corporis in infinitum propter hoc quod corpus est in infinitum diuisibile, vanum est: non enim corpus naturale in infinitum diuiditur aut rarefcit; sed usque ad certum terminum. Pendet voculam naturalem: quasi corpus in solo statu sibi naturali,

non verò in præternaturali infinitæ rarefactionis; & condensationis incapax sit iuxta Angelicum Præceptorem.

Arguunt aduersarij secundò: si partes quantitatis, aut materiæ essent finitæ, non possent abique vacuitate, aut expenetratione ad maius spatium extendi, aut abique alicuius vacuitatis interceptione aut vera penetratione ad minus spatium contrahi: ergo tamen infinitæ sint, id ipsum dicendum erit; quid enim refert infinitas ad illud explicandum? Verum in primis si linea diametralis punctis finitis constaret, iidemque etiam linea costæ coalesceret, altera maius spatium quam altera non occuparet, nec vna longior, quam alia esset: at secus accidit eo ipso, quod partibus infinitis constent. Pari ratione circulus superior inferiori maior non est, si vterque punctis finitis constaret: cum tamen admissa infinitate partium vtriusque inæqualitas rectè explicetur: multum igitur inter finitum, & infinitum interest, quod ad præsens attinet. Ratio à priori est: quia vnum infinitum alio maius, alioque minus propriè esse nequit: cum tamen vna magnitudo finita, alia etiam finita maior aut minor esse possit.

13.

Arguunt tertio: totum corpus rarefactum maius spatium, quam antea occupat: ergo seorsim à vacuitatibus aut expenetratione aliquæ eius partes secundum idem sui plus spatij, quam antea occupant: hoc autem quid aliud est, quam extensionem virtuales propriam rerum spiritualium ad res corporeas transferre? contra quam in præfenti euenire posse, supposuimus. Respondeo in primis per multiplicem instantiam: nam tota collectio creaturarum possibile est immediata Deo: nequiquam tamen aliqua eius collectionis pars ita immediata ei est. Rursus tota collectio peccatorum alicuius reprobis semper duratura est: at nulla eius collectionis pars semper duratura est; sed potius quævis aliquando est præteritura: ergo similiter in præfenti, &c. Præterea ex eo quod totum corpus rarefactum maius spatium, quam antea occupet, transeat, sequi, quamuis eius partem vi raritatis ad maius spatium extendi: at unde colligitur ab aduersariis, quamlibet corporis partem indiuisibiliter sumptam & penes idem sui, maius, quam antea spatium occupare, sicut ad extensionem virtuales oportere?

14.

Arguunt quarto: eo ipso quod corpus aliquod vi rarefactionis occupet maius spatium, quam antea, idque quin partes eius inuicem expenentrentur, aut inani aliquo interstitio altrinsecus distent, non poterunt vibrationes talium partium non esse maiores, id est virtualiter magis extensæ, aut certè plures quam ante rarefactionem erant: neutrum autem sustineri potest. Non secundum; quia vibrationes quæ ante tot erant, quot partes; postea plures sunt quam partes: igitur alicui parti duplex, aut triplex, aut quadruplex vibratio correspondet: ac proinde eiusmodi pars in multiplici loco adæquato existet, ac virtualiter extenditur more rei spiritualis. Non etiam primum, quia, si cuiusvis partis vibratio maior, seu virtualiter magis extensa redditur: ergo etiam ipsa met pas ad plures locos adæquatos virtualiter extenditur: ac proinde in idē incoueniens relabimur.

15.

Respondeo: vibrationes partium non sunt plures simpliciter, & propriè post rarefactionē, quam ante illā erāt: videlicet quia in nullo infinito, facta cōparatione illius ad aliud, aut ad semetipsū denuo auctum,

auctum, aut diminutum potest reperiri plus, aut minus si propriè loqui velimus. Deinde vbicationes partium non sunt maiores, seu virtualiter magis extensæ: cæterum quin maiores aut plures sint, eo quod infinitæ sint, poterunt respicere maius quodammodo spatium, atque in eo corpus rarefactum collocare, vt conuincunt illa argumenta, quibus capitè præcedenti vsus sum: atque vt aliis instantiis, quæ inde peti possunt, breuitatis causa, superfedeam: collectio pœnarum alicuius reprobæ ab instanti. Reliquis totius æternitatis responsura est, & eademmet collectio pœnarum nulla addita, si mille annis ante inciperet, totam etiam æternitatem aquaret, ac proinde pluribus quodammodo instantibus, quam modo responderet: vel ergo durationes pœnarum essent plures in eo euentu, vel maiores: & quod aduersarij huic argumento respondebunt, id sibi dictum putent.

18. Arguunt quintò: assignata quauis parte corporis rarefacti idem eius secundum idem in eodem loco est: aliàs, si in multis esset locis, iam extensio virtualis spirituum propria ad res corporeas transferretur: ergo totum corpus rarefactum est in eodem loco, quo antea: ac proinde ad maius spatium extendi nequibit, si Aristotelis principia sustineantur. Hoc argumentum, eadem doctrina solui & iisdem instantiis premi potest, quibus supra in solutione tertij argumeti vsus sum: quem admodum enim ibi à toto ad partes; ita hic à partibus ad totum arguitur. Arguunt sexto: si continuum ex punctis infinitis virtualiter inextensis coalesceret, non posset vi rarefactionis ad maius loci spatium extendi, aut vi condensationis ad minus cogi, quin aliqua puncta duplicem locum occuparent: aut certè quin aliquo vacuo interstitio inter se differrent; idem ergo dicendum est de continuo, tametsi partibus proportionalibus infinitis constaret, cæterum antecedens argumenti falsum est, & ab aduersariis non probatur.

19. Hæc sunt argumenta, quibus prior explicandæ raritatis, ac densitatis modus supra traditus impugnari solet: quæ autem argumenta posterio-rem eius explicandæ modum impugnant, omnia id vnum contendunt, nullas vacuitates indeterminatas in ordine ad tempus, & locum admitti posse. Quocirca infimili proposita, ac soluta sunt superius lib. 3. cum contactum indeterminatum partium continui, & inæqualitatem motuum exposuimus, ac defendimus. In fine capitis animaduertendum duxi, licet magis communiter inter philosophos collocatio illa partium, per quam res à maiori spatio ad minus aut à minori ad maius extenditur, aut contrahitur, raritas, ac densitas appellari soleat, cæterum qualitatem ipsam, quæ eiusmodi situm partium postulat, raritatem, ac densitatem haud raro nuncupari, vt eruditè probant nostri Conimbricenses lib. 1. de generat. & corrupt. quæst. 17. cap. 5. art. 1. Crediderim autem eam non esse qualitatem aliquam indiuisibilem; sed potius quandam temperiem, & mixturem primarum qualitatum, cui etiam adiungi poterit peculiaris natura atque conditio ipsius corporis quod dilatationem, aut contractionem subit.

CAPUT III.

Aduersariorum sententia referuntur, & reticiuntur.

20. Oecamus opusculo de Eucharistia & in quartum sententiarum. Gabriel in canone lectione 45. aliique Nominales, Vallesius etiam 40. physicorum textu §4. & in controuersia ad tyrones q. 27. Item Arriaga disp. 16. physicæ sect. 10. subsect. 2. & Oniedo de gen. contr. 7. punct. 5. in ea sententia sunt, vt existiment, corpus aliud rarefieri, nil aliud esse quam corpuscula aliqua subtilia intra eius poros vt caloris, & aliarum qualitatum sensim intromitti: parique ratione corpus illud condensari eorundem corpusculorum emissionem. Cogita spongiam liquoris alicuius copiam nunc exugere, & ebibere; nunc verò manu compressam euomere: aut folles auram alternatim accipere, & reddere: aut guttulas aquæ aëre concepto intumescere, eoque euanescente desidere: & rudem huius philosophiæ imaginem habebit.

21. Verum in primis, aut corpus rarefieri per corpuscula aliqua eiusdem secum rationis, aut diuersæ: neutrum sustineri potest ergo non primum: quia cera v.g. rarefit in absentia alterius cære: vnde ergo corpuscula cærea, & eiusdem secum rationis accipit? Deinde, si cera per corpuscula cærea, & eiusdem secum rationis rareficeret, iam talis motus non rarefactio, sed augmentatio substantialis esset, & vi illius plus cære quam antea existeret; quod tamen philosophiæ apertè repugnat. Secundum etiam dici nequit: quia forma ignis, vt introducatur in materiam aëris, postulat raritatem in aëre, vt præuiam dispositionem: at non postulat in aëre corpuscula diuersæ rationis aliqua formæ substantiali præditæ; aliàs iam vna forma substantialis foret dispositio ad aliam, ad eamque in eodem mixto pro eodem instanti reali semper præcederet: consequens autem falsum est: quia, tametsi intra cauitates materiæ aëreæ nulla sint corpuscula substantialiter diuersa, cur forma ignis in eam materiam imprimi nequeat; multoque facilius quam si ea corpuscula adessent. Deinde quia aliàs sequeretur, nullum esse in toto vniuerso corpus purum, & sincerum; excepto corpore densissimo: cum reliqua omnia gradum aliquem raritatis obtineant, ac proinde corpusculis extraneis referta sint: at quis credat ne modicissimam puræ aquæ stillam in toto liquentis elementi fundo esse, aut vnicum saltem sinceri aëris flamen in triplicis regionis immensitate neuiquam reperiri posse, aut ignem elementorum omnium purissimum, & defæcatissimum nunquam tamen purum, ac defæcatum esse? & quidem ignis, præsertim in sua sphaera, eiusmodi corpuscula combureret, ac sibi substantialiter conformia redderet, & tamen ibi rarus est: igitur raritas in corpuscula diuersæ rationis refundi nequit.

22. Impugnatur secundo ea sententia: quia vas æneum aquæ plenū & vnde quaque operculatum, & clausum illico frangitur, si aqua, quam continet, condensetur, & in gelu conuertatur: non alia ratione nisi ne locus ab aqua congelata relictus corpore omnino vacuus sit; contra quam rerum natura postulat: at hæc ratio nulla esset, si conden-

fario fieret per effusionem corpusculorum: siquidem locus ab aqua congelata in vase relictus à corpusculis emissis repleri posset: cur ergo vas frangi debet, ad hoc ut aer forinsecus ambiens vacui euitandi causa intus irrumpat. Respondent primo aduersarij, vas ad vitandum vacuum in rerum natura minimè disrumpi; sed solum præ nimio frigore, aliarumque qualitatum intemperie. Cuius signum aiunt esse: quia vas interdum non opertum, aqua tamen, quam continet, congelata, frangitur. Contra tamen: quia experientia constat, sapius frangi vas aqua congelata plenum, cum eius orificium occlusum, quam quando apertum est: ergo vas in aliquo euentu frangitur occluso orificio, in quo omnis fracturæ expers esset, si eius orificium non esset occlusum: at in eo euentu non frangitur vas ob intemperiem frigoris, quæ eadem proculdubio est, siue vas opertum, siue apertum sit: ergo tunc solius vacui vitandi causa frangitur.

23. Respondent secundo, vacui periculum non posse esse causam ob quam vas aqua intus inclusa in gelu conuersa disrumpatur: nam si vas illud oleo, aut butyro impleatur, esto hi liquores congelentur, non propterea disrumpitur: at si vacui euitandi causa disrumpi posset; in hoc etiam euentu disrumpi deberent: cum etiam hi liquores congelati vacuitatem aliquam in vase relinquant. Rursus aqua in vase non tota simul gelaescit; sed prius penes supremam, & extimam eius superficiem, actenuissimam quandam crustam, mox verò penes aliam, aliamque: vas autem non frangitur quoad aqua se tota congeletur: quod si vacui euitandi causa frangeretur facta minima congelatione, fractio vasis illico sequeretur: cum rerum natura nec maximum, nec minimum vacuum permittat.

24. Hæ obiectiones, quamuis speciem aliquam probabilitatis præferant, nihil tamen probant. Ad primam dici potest, id circo, cum oleum, aut butyrum vase clausum gelaescit, vas non disrumpi ad vitandum vacuum, quia oleum spongiosum valde est, ac plurimum aeris intra se habet; quare cum condensatur, eiusmodi aer rarefit, & occupat spatium, quod densities olei euacuat, quin aeris externi ingressu, aut ruptura vasis opus sit. Caterum aqua vase clausa adeo porosa non est, parumque aeris in se habet; unde ut locus quem relinquit vacuus non sit, necesse est ut vas disrumpatur, & externo aëri aditus pateat. Quod autem hinc sequitur, corpora præsertim viscosa corpusculis aëriis facta esse, & quoties rarescunt ea interdum emittere, à meminimè negatur, & bullulis in superficie aquæ passim rumentibus manifeste conuinci videtur: illud tantum contendo, nec omnia corpota hisce atomis plena esse, nec per eorum receptionem & omissionem solam explicari rarefactionem eorum corporum, in quibus reperiuntur. Hinc ad secundam obiectionem dici potest, cum aqua vase clausa gelaescit, sursum euocari aërem in poris aquæ latentem, & quo magis gelaescit aqua, eo plus aeris ascendere. Cum autem totus aër aquæ immixtus ab ea separatur crescente gelu, magis rarefit, ut vacuum impediatur: ubi autem ad summum raritatis gradum sibi naturaliter possibile reducitur, & aqua vel tota, vel ferme tota concreuit, tunc necesse est vas frangi, ut aer extrinsecus vacuum impleat, cui aër intus inclusus iam par esse nequit.

25. Duobus argumentis præteritis ab expertentia, & ratione desumptis aliam experientiam, & rationem adiungo, & propositam sententiam tertio, & quarto tandem impugno: nam in primis experimur quotidie in cucurbitula, vulgo ventola, eo ipso quod ignis in stupa conceptus extinguatur, & in aërem condensetur illico carnem agrotantis sursum attrahi; nimirum ad implendum vacuum ab igne relictum: quod si ignis per emissionem corpusculorum in aërem condensetur, haudquaquam esset necesse, carnem in tumescere, & sursum eleuari, ne daretur vacuum quod corpusculis emissis satis, superque vitari posset. Ratio verò ita se habet: cum corpus aliquod vni-formiter, & versus omnes suas partes rarefit, non poterit iuxta hanc sententiam non dissolui, & ut chymici loquuntur, calcinari, quoad omnes omnino eius partes, & vique ad vltimas eius atomos, & puncta: siquidem cum rarefit versus omnes partes, aliqua corpuscula recipit: ergo ut ea recipiat quæ versus dehiscit, & aperitur, omnesque eius compages, siue vniones continuæ soluiur: consequens autem non solum rationi, verum etiam sensui repugnat.

26. Quapropter alij per inanitates quasdam, ac vacuitates perexiguas rem explicant; in earumque multitudinē aut paucitatem corporum omnium rarefactionem, & condensationem referunt, ita Leucippus, & Democritus, & communiter veteres Epicurei, qui ob id apud Aristotelem lib. 1. de cælo cap. 7. docent, vniuersum non esse continuum, sed corpora vacuo interiecto distincta. Huc spectant Lucretij insignis Epicurei versus lib. 1. de rerum natura.

*Atque hi si faciant admistum rebus inane,
Densari poterunt ignes, rarique relinquī:
Sed quia multa sibi cernunt contraria multi.
Et fugiant in rebus inane relinquere purum:
Ardua dum metuunt, amittunt vera viai.
Nec rursus cernunt exemplo rebus inani.
Omnia densari.*

27. Quæ sic explicat Lambinus. Hoc enim significat Lucretius. Atque hi si faciant, id est si ponant, & statuunt, inane rebus admistum esse, procederet eis ex animi sententia, quod volunt, & possent ignes nunc densari, nunc rarefieri: nunc autem cum densationem, & rarefactionem fingant sine inani, longè aberrant à vero, nam, ut nihil rarum esse potest sine inani: ita nihil densari, quod careat inani. Ita etiam Adrianus Turnebus libro de calore in hæc verba: Nec enim summa rerum ita conferta est, ut non crebra inanitates interiectæ sint: id declarat aër, qui modo laxus, & remissus est: modo spissus, & contractus: eius enim laxitas, & raritas quid aliud est, obsecro, quam foraminum compressio, ut minutior sint quam prius: alioqui, cum se laxat aër, æquid tandem corpus vacua eius spatia complet; cum se densat, nonne in eadem residet? Ita etiam Caimanus in hæc verba: Densari & coire aqua nulla alia ratione potest, præterquam quod aërem per atomos sibi intermixtum in alias impellat partes, unde spuma fit, vel in atomos vacuis sibi intermixtos interim resideat, quos dilatare & rarior facta mox aperiat. quibus verbis huic & præcedenti sententiæ fauet. Ita demum nonnulli Recentiores, quibus suppressis nominibus citat Ariaga disp. 16. physice sect. 1. 1.

28. Verum inanitates has inanissimas esse, & ad explicandum raritatem & densitatem parum, aut

aut nihil conferre, in hunc modum ostendo. Pulvis pyrius cum in flammam accenditur centies vicies quinquies millies maius spatium quam antea occupat; vt Snelius insignis mathematicus expertum se esse testatur: ergo necesse est, vt pusilla illa inanitates, quibus granulus pulueris tormentarij foraminatur, ruptis parietibus in magnas lacunas coeant, vastosque hiatus dehiscant: at quamuis natura inanitatulas quasdam imperceptibiles non refugiat, idque vltro largiamur aduersariis: ceterum naturaliter fieri nequit, vt magnae vacuitates, quaeque longè lateque pateant, vniuersi continuuam abrumpan.

28. Rursus impugnatur secundo hae sententia. Ideo nequit dari vacuum in rebus, ne coelorum influxus, qui per vacuum traici nequit in hac sublimaria, impediatur: at multo magis impeditur influxus coelorum per innumeras, ac propè infinitas vacuitates exiguas, quibus totus Oceanus ab eius superficie, vsque ad eius fundum intermixtus est, quam per vacuum grandiusculum vnus palmi verbi gratia: ergo magis repugnant crebrae illae & exiguae vacuitates, quam vacuum vnus palmi: cum ergo hoc naturaliter impossibile sit, vt ipsi aduersarij facerentur, certè illae naturaliter impossibiles erunt.

29. Tertio tandem impugnatur hae sententia: quia si tabula plana aquae supernatans sursum eleuetur, idque non successiue, & prius hinc quam illinc, sed simul quoad omnes suas partes, aqua cogetur etiam sursum ascendere ne detur vacuum per breuissimum etiam tempus, illud videlicet, quo tardat aer inter tabulam, & aquam penetrare, atque in vtriusque confinio se collocare: at per minutissimas illas vacuitates multo magis impeditur coelorum influxus, quam per vacuum, quod aqua non ascendente breuissimo tempore duraret: ergo sicut hoc vacuum naturaliter repugnat, ita etiam à fortiori exiguae illae vacuitates naturaliter repugnabunt.

CAPVT IV.

Reliqua aduersariorum sententiae cōsulantur.

30. Tertia aliorum opinio est, corpus additione quantitatis rarefieri, eiusque diminutione condensari, ita Caietanus 3. p. q. 77. art. 5. Scotus in 4. distinct. 12. q. 4. Marsilius in quartum q. 2. art. 2. alique plures. Qui tamen ex dictis facili negotio impugnari possunt: nam praeterquam quod falsò supponūt, quantitatem à re quanta distinguui, materia prima est in eodem loco, in quo est quantitas, cui subest; si cui demum subest: ergo, cum quantitas per rarefactionem crescit, materia est in maiori loco quam antea, & in minori, cum quantitas per condensationem minuitur: necesse igitur erit, vt in his euentis, vel vacuitates aliquae aperiantur, aut obstruantur; vel partes aliquae materiae penetrentur; aut quae penetrata erant, expenentrentur: consequens autem est absurdum. Quod si propterea hi authores materiam ratione suae infinitatis absque vllis vacuitatibus, aut penetratione, vel expenetratione censeant ad maius spatium extendi posse, cum rarefeit, modo verò ad minus contrahi, cum densatur, id ipsum de quantitate dicere possunt, ac debent, cum partes proportionaliter infinitas non minus, quam

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

materia fortiat: absque eius igitur incremento aut decremento rarefactio, & condensatio explicari poterunt. Parco aliis huius sententiae impugnationibus, quibus abundante Pater Hurtadus de generat. & corrupt. d. 4. sect. 2. & Conimbricenses c. 5. q. 17. ac nouissime Compton. disp. 11. sect. 1.

Alij quartò existimant, puncta materiae per rarefactionem virtualiter magis extendi, atque in pluribus locis replicari; per condensationem verò singulorum punctorum praesentias carpi, & minui. Ita nonnulli, quos tacitis nominibus referunt Hurtadus disp. 4. de generat. & corrupt. sect. 3. §. 25. & Arriaga disp. 15. physic. sect. 9. impugnantur tamen primò: quia quàm absurdum sit, continuum ex punctis virtualiter extensis componi, in loco satis à nobis probatum manet. Rursus eo ipso quod res aliqua rarefiat, eius actio relanguescit, ac debilior fit; nec tam intepla quam antea; sed potius magis remissa euadit: at si rarefieret per extensionem virtualem ad maius spatium, seu per eiusdem secundum idem in diuersis locis replicationem, non esset cui raritatem agentis eius in agendo remissio & debilitas sequeretur: ergo &c. Maior experimento conspicua est: siquidem ignis, quo rarior est, eo minus erit, vt in lapide ignito, & ignita stupa, vel lana discernere est. Deinde quo rarior est ignis eo minus lucet: quo fit, vt in sua sphaera, vbi summam habet raritatem, nobis conspicuus non sit, qui tamen stellas & cometas conspiciamus. Colores etiam à corporibus promanantes per rarefactionem distinguuntur vt videre est in gelu, cum in aquam soluitur; aut in cera, cum pra calore liquefit. Minor autem argumentum non minus manifesta est: quis enim sibi persuadeat, Angelum, si magis virtualiter se se extendat, & à medio huius gymnasijs spatio ad totum gymnasium praesentiam suam dilaret, hoc ipso eum minus acute & perspicaciter quam antea intellecturum, minus intense volituum, aliaue functiones ad extra, aut ad intra minori perfectione obituum? quis etiam neget, hominem hic, & Romae collocatum vtrique pari velocitate currere, pari acumine videre, tam bona nutritione ali, tam perfectos voluntatis, ac intellectus actus exercere posse: nisi aut ipse nolit, aut extrinsecus per accidens impediatur.

Quinta aliorum sententia est, condensationem non sine penetratione, & rarefactionem non sine expenetratione contingere posse: ita Stapulensis, & alij non pauci: hae tamen sententia bifariam explicari solet: aliqui naque eius assertores quaedam materiae partes adaequate penetrari, & expenetrari censent. Alij verò partes materiae virtualiter extensas esse, ac proinde inadequate tantum eas penetrari, aut expenetrari posse existimant. Verum quod adaequata penetratio partium materiae naturaliter repugnet, & in metaphysica à nobis ostēdetur, cū de conditionibus entis spiritualis egerimus: & modo vno, vel altero experimēto breuiter demonstratur.

Siquidem Aristoteles l. 1. de mundo c. 4. ita terrae motum explicat. Cum flatus aduena introrsus in terrā caua irruumpens, deinde exitu omni exclusus intus se se versando ingenti vi terram quatit, nequicquam exitum inde quaeritans; tunc fit natura facinus, quod vocamus terrae motum: quibus verbis aperte sentit Aristoteles terrae motum fieri visceris terrarum foraminibus inclusi, & exitum violenter quaerentis. Vnde sic argumentor: si esset possibilis adaequata corporum penetratio

V. 3 vnum

unum per alterius locum transgredi alio non expulso pollet: ac proinde subterraneus aër claustrum impatiens eas turbas non faceret, talesque tumultus minimè excitaret.

35. Rursus interdum tonitruum cœlum omne remugit, eo quod spiratio calida & sicca in compactæ nubis cauitate inclusa ad libertatem exire nititur, & renitentis sibi nubis latera pulsat, atque repullat. Hanc Aristotelicorum omnium sententiam ex eorum mente ita proponit Seneca lib. 2. naturalium questionum cap. 27. *Cum spiritum intra se clausere nubes, in concanis partibus earum volutatus aër similem agit mugitibus sonum: raucum, & aequalem, & continuum: itaque etiam ubi illa regio humida est, exitum claudit.* Vnde etiam sic argumentor. Si corpus aliquod quantumvis subtilitate præditum cum alio adæquatè penetrari posset: certè per illud absque vlla renitentia transire posset, atque adeo nulla essent fracto displosa tonitrua cœlo, nulla superna murmura, nulli ætherei fragores; sed spiritus illi nubium repagulis inclusi, & quasi carcerati silenter exirent, & facili, ac pacata libertate potirentur. Nec verò his experimentis responderi potest, exiguas quasdam & impenetrabiles materiæ particulas, non verò tota corpora adæquatè penetrari posse: nam cum stagnum aliquod totum condensatur, & ad duplo maius spatium reducitur: dimidia pars aquæ stagnantis eundem cum altera dimidia locum occupat: iam ergo naturaliter tota corpora penetrantur.

36. Inadæquata autem penetratio partium materiæ impugnatur: tum quia extensio virtualis, in qua fundatur, omnino repugnat: tum etiam quia res spirituales duo v.g. Angeli non solum inadæquate, verum etiam adæquate penetrabiles sunt: ergo etiam partes corporis tam adæquate quam inadæquate impenetrabiles erunt: id, quod experimentum nuper posita satis etiam ostendunt: facilius enim esset, aërem in terræ cauernis clausum per inadæquatam penetrationem contrahi, si ea possibilis foret, quam violenta eruptione maria, ac terras miscere, & naturæ tot vulnera inferre: quod si aër subterraneus vltèrius contrahi nequit, cur per penetrationem illam inadæquatam tellus saltem & aqua, per quas meat, amplius non contrahuntur? cur, sicut corpora grauiora præter propriam inclinationem sursum euolant, & leuiora deorsum feruntur, vt naturæ consulant, & vniuersali bono prospiciant; cur inquam eodem fine cauernæ, ac latebræ terrarum non extenduntur per inadæquatam penetrationem, vt spiritum intus rarefcentem capiant, quantumlibet eiusmodi penetratio corporum corporibus ipsis, spectata peculiari eorum inclinatione, violenta, ac præternaturalis esse censeatur?

37. Tandem alij censent, raritatem corporis consistere in eius liquiditate, siue quod perinde est in vnione partium, quam faciliè solubilem ac redibilem appetant: contra verò corporis densitatem sitam esse in eius soliditate seu duritie, & compactione; hoc est, in vnione partium, quæ faciliè perire, ac faciliè etiam redire nequeat: quamuis autem corpus, cum rarefit, aliquando ad maiorem locum extendatur, id tamen non semper euenire; & cum euenit, per accidens ad raritatem se habere. Impugnantur tamen primò: quia nihil inter philosophos magis solemne est, quam corpus rarum eo ipso ad maiorem locum extendi, ac den-

sum eo ipso ad maiorem contrahi: ita Aristoteles, quem reliqui sequuntur, in cap. de qualitate textu 4. ibi: *cicnim densum quidem ex eo quidpiam est, quia partes ipsius sibi ipsa propinque sunt: rarum autem, quia se se distant.*

Rursus: quemadmodum Angelus summa subtilitate præditus spatium huius gymnasilij, aut aliud maius occupare potest, quin vlla vi etiam supernaturali diuidi possit; cur etiam aliquod corpus tenuissimum, subtilissimum, ac proinde rarissimum, à Deo produci nequeat, quod saltem naturaliter discontinuari non possit? ergo iam raritas in vnione faciliè solubili non consistit. Deinde lac v.g. aut sanguis, & oleum pluræque vnguenta valde spissa, ac densa sunt: & tamen vniones non habent solutu difficiles, sed valde faciles. Præterea ex hac sententia sequeretur, lignum v.g. nullum habere raritatis gradum: siquidem nullam habet liquiditatem, nullamque facilitatem, vt eius partes solui, ac iterum reuniri possint, eo quod semel abrupta iterum naturaliter continuari nequeant. Consequens est absurdum: quia aliàs lignum esset summè densum, & nulli metallo cederet.

Opponunt tamen huius sententiæ assertores. Corpus Christi in Eucharistia aliquem habet raritatis gradum; siquidem marmore densius non est: at ibi nullam habet extensionem localem: quin potius ad maiorem quam antea locum contrahitur: ergo raritas non in extensione partium, sed in earum liquiditate consistit. Verum corpus Christi nullum raritatis, nullum densitatis gradum in venerabili Sacramento obtinet; si raritas, ac densitas pro positione partium, earumque maiori, aut minori extensione fumantur: secus verò, si pro qualitate eam extensionem aut positionem postulante accipiantur. Quod autem alterutro modo raritas, & densitas usurpari soleant, supra ostendimus.

Opponunt secundo: si in vase vndique operculato cera conclusa igni applicetur, proculdubio rarefceret; & tamen maius loci spatium non occupabit, quæ est vasis eam continentis durities cedere nescia: ergo raritas non in extensione, sed in liquiditate consistit. Responsio tamen in promptu est: nam in eo euentu cera intus rarefscens maiorem, quam antea, locum occupabit, ac proinde vas disrumpet, ne cum eo penetretur. Sic oua igni applicata, aëre intus rarefcente, ac vi caloris se se dilante cum crepitu rumpuntur, ne videlicet aër cum oui testa, seu putamine penetretur: si enim ob solam caloris intemperiem, & non ob periculum penetrationis dissiliunt, cur id non euenit, esto prius collisa foramentur, & rimam aliquam aperiant, per quam aër egredi possit. Et quidem non conspicio, cur vacui euitandi causa vasa sæpe frangantur, & penetrationis etiam fugiendæ causa id ipsum vltèrius nequeat, cum natura non minus penetrationem quam vacuitatem abhorreat.

Demum opponunt, omne corpus rarum liquidum esse, & omne densum solidum esse: ergo. Verum antecedens falsum esse ex nuper dictis constat: & argumentum retorqueri potest: siquidem nullum ferè corpus rarum est, quod iuxta aduersarios ad maiorem locum, saltem per accidens, se se non extendat: quatenus igitur id fiat, vel per corpuscula, vel per expenetrationem, aut vacuitatem, vel per extensionem virtuales, aut infinitatem

38.

39.

40.

41.

tatem partium ab ipsis explicari debet: igitur difficultates aliarum sententiarum non euitant, & alias denuo superaddunt.



TRACTATVS II.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem qualitatem, & è contrario: siue de intensione, & remissione.

CAPVT PRIMVM.

An aliqua qualitates additione gradus ad gradum intenduntur?

1.



RBITOR intensiorem, quàm subiectum aliquod redditur magis tale, quam antea erat, fieri additione gradus ad gradum, si de qualitatibus physicis, nimirum calore frigore & aliis similibus sermo sit. Hac sententia, quæ communior est, hac vnica ratione missis aliis minus efficacibus, probatur: si intensio caloris v. g. non fieret additione gradus ad gradum maxime: quia aut fieret mutatione totius caloris imperfecti in alium perfectiorem: aut mutatione existentiae imperfectae in aliam existentiam magis perfectam, inuariata tamen essentia caloris: aut quia fieret per maiorem radicationem caloris ad subiectum: siue, quod perinde est, per magis perfectam eius vnionem cum subiecto: aut demum quia fieret per expulsiorem qualitatis contrariae. At nullo ei his quatuor modis fieri potest caloris intensio: ergo sola additione gradus ad gradum calor in eodem subiecto intenditur: quemadmodum non sine additione partium per diuersa subiecta extenditur.

2.

Primus intensiorem explicandi modus est Durandi in 1. distinct. 17. Gofredi quodl. 11. quæst. 3. Auicennæ, Gilberti Porretani & aliorum: qui tamen abique negotio confutari possunt: namque, si calor intenderetur, maiorque fieret corruptione totius caloris remissi, eiusque mutatione in alium perfectiorem de nouo productum, ignis aquam calcificans non solum esset productius caloris; verum etiam caloris destructius: & sol aërem magis magisque illuminans non tantum lucem produceret; sed etiam eam destrueret: at quis ferat, ignem non tantum caloris, verum etiam frigoris; aut quod perinde est carentiae caloris; ac tolem non tantum lucis, verum etiam tenebrarum parentem esse: aut quis ferat simile destrui à suo simili, cum ratione solius similitudinis quoduis indiuiduum propagationem, & conseruationem suæ speciei appetat?

3.

Rursus: si aqua intensè calefit mutatione totius pristini caloris in alium indiuisibilem, ac perfectionem: ergo, cum absente igne calor aquæ remittitur, totus illico peribit: siquidem gradibus caret, qui sensum, ac paulatim perire possint, quod tamen sensui, & experientia repugnat. Nec responderi potest, absente igne totum quidem aquæ calorem destrui, eius tamen loco alium minus perfectum produci: à quo enim obsecro producit? non ab igne; qui absens est: non ab a-

qua; quæ caloris productiua non est: non à calore præterito; alias hic alteri calori, quem producit, coëxisteret in eodem instanti; haud secus ac actus habitum absque vtriusque coëxistentia in aliquo instanti post se relinquere nequit: non à Deo; cuius munus non est producere calorem absque exigentia causæ creatæ, & cum renitentia agentis contrarij & frigidi; alias Deus naturaliter, & secluso quouis miraculo aquam in absentia ignis calcificare, & nativo frigore spoliare posset.

4.

Præterea si intensio caloris sit, indiuisibilis caloris in alium indiuisibilem magis tamen perfectum commutatione; certè intensiua alteratio continua non erit. Consequentia probatur: nam forma indiuisibilis in instanti producit: terminus ergo alterationis intensiue, cum indiuisibilis sit, in instanti fiet: cum ergo vnum instans alteri immediatum, & continuum non sit, alteratio intensiua continua non erit; sed potius morulis interrupta. Consequens autem sensui, & experientia repugnat: vsque adeò, vt qui manum maximo igni applicatam continuo tamen calefieri neget, is certè aquilam per aëra velocissimè se se librantem, continuo tamen moueri inficias etiam ire teneatur, cuius tamen oppositum supra lib. 3. tract. 5. cap. 2. demonstratum manet.

5.

Secundus modus explicandi intensiorem sine additamento graduum est Egidij quodlib. 2. q. 14. Capreoli in 1. quæst. 1. art. 2. & Astudilli 1. de generat. quæst. 8. qui tamen iisdem argumentis, quibus supra vsimus confutari possunt: namque, vt demus essentiam qualitatis ab eius existentia realiter distingui, & eandem essentiam modo hac, modo illa existentia affici posse, quod tamen falsum esse in metaphysica ostendimus; aut existentia perfectior per alterationem intensiua comparata habet latitudinem gradualem; & sic idem de ipsa essentia qualitatibus absque inconuenienti dici poterit: aut ea existentia est indiuisibilis alteri etiam indiuisibili succedens; & ita simile à suo simili destruetur, & calor aquæ sensim paulatimque remitti nequibit; & alteratio intensiua continua non erit: vt ex nuper dictis huc applicatis dilucidè constat.

6.

Tertius modus explicandi intensiorem absque adiectione graduum est Caietani 1. 2. quæst. 5. art. 2. nec non Capreoli vbi supra conclus. 5. atque inter Thomistas communior est. Multis tamen argumentis impugnari potest. In primis enim omnia argumenta paulo supra confecta contra eum militant: siquidem vnio qualitatis cum subiecto latitudinem gradualem, quam non habet qualitas, habere nequit, ac proinde indiuisibilis est, & continuè produci nequibit. Deinde, cum sol aërem magis magisque illustrat, non erit à quo vnio illa imperfectior lucis destruat: aut cum calor aquæ sensim remittitur, à quo vnio imperfectior caloris denuo producat. Dices ab ipso calore. Respondetur: ergo est prior natura vnione quam producit, nec non etiam posterior natura eadem vnione, per quam iuxta Thomistas à subiecto educitur: at mutuam causalitatem sæpe sapius improbauimus. Rursus quidquid sit de ea sententia, quæ vnionem ab actioneeductiua non distinguit; certè pro priori naturæ quo calor est expectatus ad vnionem, illam producendam daretur, & non daretur ipsa vnio: non daretur; quia est effectus caloris; daretur verò; quia calor ex natura

rei non est proximè expeditus ad aliquid operandum, nisi provt vnitur subiecto. Hoc eodem argumento impugnari poterunt authores numero superiori citati, si languescēte calore aquæ eius existentiam imperfectam ab eius essentia produci dicant.

7. Rursus sic argumentor : visus noster percipit maiorem lucem : sed non percipit perfectionem illam lucis vnionem : ergo lux non per talem vnionem ; sed per additionem graduum maior, siue intensior constituitur : minor luaderetur : quia vnio illa lucis non est lux, aut color : cur ergo videri possit ? Respondent aliqui, nos videre maiorem lucem non ex parte obiecti ; sed ex parte modi, eo quod perfectior vnio facit, vt eandem lucem perfectius quàm antea, eaque vnione quæ dici solet maioris lucis, intuemur. Hoc tamen friuolum est : tum quia eadem ratione dici posset, nos non percipere simpliciter lucem ex parte solius obiecti ; sed etiam ex parte actus : idque quod videmus non esse lucem, provt condistinguitur à nostra visione ; sed potius per hanc constitui in ratione lucis : tum etiam quia falsum est, nos maiorem lucem eo ipso perfectius intueri, cum eximius lucis fulgor haud rarò oculos nostros præstringat.

8. Vltius argumentor : candor hostiæ consecratæ pluribus aliis maior, atque aded intensior est : at non ob perfectiorem vnionem cum subiecto, cum ab omni ratione cum subiecto absolutus sit. Quod autem aliqui respondent, cum candorem extensivè quidem maiorem esse plurimis aliis, ob id tamen intensiorem non esse prorsus deridiculum est. Nam hac ratione omnium formarum intensio de medio tolli posset : quo enim argumento impugnari posset, qui calorem ignis extensivè quidem maiorem esse calore ligni, eo verò propriè intensiorem non esse, assereret : iam quoties extrema sunt eiusdem rationis, non est, cur de facto saltem vnio talium extremorum, eiusdem rationis non sit : qua ratione suo loco edocebimus, vnionem essentialem capitis humani, & vnionem cordis esse eiusdem speciei ob identitatem specificam extremorum eaque vniones si specie differrent, eo ipso nō vniones meras, sed formas substantiales futuras esse. Cum ergo calor aquæ ante, & post intensiorem sit idem, & à qua etiam sit eadem, qui fieri potest, vt vnio specie varietur ?

9. Quartus, & vltimus modus tuendi intensiorem absque gradibus est Ægidij quodlib. 2. q. 14. & 1. de generat. quæst. 18. Verum cæteris probabilior non est : quinimò manifestè improbari potest : primo namque lux nullum habet contrarium : ergo per expulsionem contrarij non intenditur. Deinde gratia habitualis, & charitas in iusto intenduntur ; & non per expulsionem alicuius contrarij : nihil enim est contrarium gratiæ & charitati, nisi peccatum lethale : at peccatum lethale non expellitur per intensiorem gratiæ, & charitatis ; vt pote quod ante eam intensiorem per gratiam, & charitatem quantumlibet remissas satis superque expulsum supponitur. Tertio demum cum dicitur, calorem intendi sola frigoris expulsionis actio intensiva ad quid terminatur ? non ad novum aliquem caloris gradum, vt Ægidius fatetur : non ad meram expulsionem frigoris : quia, vt demus actionem aliquam positivam ad solam alterius rei carentiam terminari posse ; certè in eo euentu absque præiudicio alicuius exigentia fri-

gus positivè destrueretur, & à subiecto depelleretur, quod tamen intelligibile est.

CAPVT II.

An gradus intensiōis homogenei sint ?

10. P Otissimum, ac ferme vnicum argumentum, quo se propugnant authores capite præcedenti impugnati, ita se habet. Si qualitas additione gradus ad gradum intenderetur : vel gradus intensiōis essent homogenei ; vel heterogenei : æquales ; vel inæquales : nihil autem horum sustineri potest. Huic argumento authores nostrarū partiū non eodem omnes modo respondent. Alij siquidem gradus intensiōis non nisi homogeneos esse posse censent : alij verò heterogeneos esse malunt : aliis æqualitas graduum placet ; aliis eorum inæqualitas magis aridet. Quamvis autem omnes probabiliter philosophentur : ipse tamen argumentō liberalius responderi posse existimo. Arbitror enim possibilem esse intensiōem plurium qualitatum, quæ per gradus homogeneos fiat : aliam, quæ gradibus heterogeneis constat : aliquam etiam cuius gradus æquales sint : & nonnullam, quæ per gradus inæquales perficiatur : quoniam autem graduum genere qualitates physicae de facto intenduntur, problematicè defendi posse. Porro quam verum sit, intensiōem aliquam fieri posse per gradus homogeneos ; & quam probabile sit, per eas intensiōem omnem omnium qualitatum, de quibus loquimur, de facto etiam fieri capite præsentī propugnandum aggredior, iis, quæ statim sequutura sunt, reliquas nostræ sententiæ partes aggressurus. Hoc autem, quod de homogeneitate graduum statuo, haud aliter melius constabit, quam expositione earum difficultatum quæ in contrarium opponi solent.

11. Oppones igitur primò : calidum vt duo neque se ipsum intendere, aut calidum vt tria efficere ; alias contra manifestum experimentum nullo alio calido intensiori sibi applicato vsque ad octavum caloris gradum intendi, atque in ignem suapte natura conuertere posse, cum non sit potior ratio, cur tertium caloris gradum, quam reliquos sequentis sibi adiciat : consequentis autem tam absurdæ sequela, hunc in modum probatur. Calidum vt duo potest producere in diuersis subiectis duos primos caloris gradus : cum ergo tertius & quartus & quivis vltior caloris gradus sit eiusdem speciei cum duobus primis gradibus, non erit cur calidum vt duo in se ipsum tertium, & quartum caloris gradum, ac eorum adminiculo alios vltiores producere nequeat. Hoc idem argumentum paulo aliter proponi solet. Calidum vt duo in subiecto, aut nullum, aut certè vnicum caloris gradum habente, calorem producit, illudque calidum vt duo efficit. Quod si subiectum antea fuerit calidum vt duo, nihil caloris in eo producet, vt experientia testatur : at non esset, cur tertium in eo caloris gradum non produceret, si tertius gradus caloris esset homogeneus, & eiusdem speciei cum primo caloris gradu, quem calidum vt duo proculdubio producit.

12. Huic argumento respondeo primò, idcirco calidum nec se ipsum intendere, nec aliud etiam calidum vt duo amplius calefacere posse, quia, vt

10.

11.

12.

tert commune proloquium, simile non agit in simile. Quod si vterius interrogetur, cur simile agere nequeat in simile, abique vlla repetitione principij dici potest, hanc esse agentium omnium naturam nobis multiplici experimento à posteriori compertam. Præter hanc etiam rationem aliæ etiam sufficientes afferri possunt, ob quas absurdum, quod in argumento inferitur, minimè sequatur. Quare secundo respondeo, ob id calidum vt duo nec in se ipso, nec in alio sibi simili vltiore calore producere, tamen si gradus sint homogenei, quia qualitas omnis non solum in extensione, verum etiam in intensione sphaeram actiuitatis sibi præscribit: nulla autem intensio- nis sphaera esset, si calidum vt duo aut se, aut aliud simile intendere posset, vt ex dictis numero superiori constat.

13. Et quidem sicut in aduersa sententia lucidum vt duo in alio subiecto lucem vt duo sibi similem, paremque producere nequit, solumque primum gradum in eo lucis efficit: primus autem gradus lucis in alio subiecto alium etiam lucis gradum sibi parem & æqualem producere nequit, ne vt aduersarij philosophantur, lucis extensio nulla sphaera cohiberetur, duoque gradus lucis alicubi producti alios duos, & hi alios duos, & sic absque fine producerent: ita similiter non video, cur (esto gradus sint homogenei) calidum vt duo aut se, aut aliud sibi simile calefacere amplius debeat, cum eius intensio suapte natura finem, sphaeramque sortiatur. Respondeo tertio, ob id calidum vt duo aliud calidum vt duo intendere non posse, quia aliàs daretur perpetua actio, & repassio; & in vno instanti calida illa vi caloris se se intenderent: in alio verò vi frigoris, cum quo calorem suum coniunctum habent, se se remitterent, alternante semper frigoris, & caloris victoria.

14. Oppones secundo: idcirco partes corporis animati diuersæ speciei sunt, supposita adæquata earum distinctione reali, quia dissimiles operationes diuersoque specie effectus sortiuntur: at hæc ratio militat in calore extenso & intenso, quorum alter, & non alter ad formam substantialem ignis dispositioni concurret: ergo calor intensus, & extensus diuersæ speciei sunt: quod si gradus intensiois essent homogenei, plures primi gradus per multa subiecta extensi in vnum colligi, in eoque primus, secundus, tertius, quartus, & sic de cæteris fieri possent; sicut ad intensi- onem oportet: iam ergo calor intensus extensus esse potuit: ac proinde specie non differunt, contra quam paulo supra probatum manet. Respon- deo calorem intensum, caloremque extensum se- cundum se sumptos eisdem effectus habere, nec magis vnum quam alterum ad formam substantia- lem ignis disponere: ideo vero calorem inten- sum, non verò extensum ad formam substantia- lem ignis hic, & nunc disponere, quia partes omnes caloris intensi eidem subiecto vniuntur, cum tamen partes caloris extensi diuersis separa- tilque subiectis copulentur. Hinc autem non ca- loris intensi, & externi; sed solarum vnionum diuersitas specifica oritur, quam nos vltro largi- mur, & sæpe sapius in simili ostendimus.

15. Oppones tertio: si plures quantitates homo- geneæ eidem materiæ vniuntur, materia ob id ma- gis quanta, aut extensa non erit: ergo etiam si plures gradus caloris omnino similes in eodem

subiecto collocentur, non ob id subiectum magis calidum erit: ac proinde intensio per gradus eius- dem rationis fieri nequit. Verum hoc argumen- tum inutile est; vt pote quod omnes sententias ex æquo impetit: non si plures quantitates diuersæ speciei constituantur diuinitus in eadem materia, hæc propterea magis quanta, ac extensa non erit. Deinde seu magis perfecte seu minus perfecte quantitas vniatur materiæ; materia ob id magis minusve quanta non erit: sane ergo calor per gra- dus heterogeneos, aut per maiorem radicationem Thomisticam, aliòve modo intendi non poterit, si quid eo argumento concluditur. Absolutè res- pondeo, in eo differre quantitatem à qualitate, quod hæc, & non illa intensiois capax sit: quare gradus homogenei qualitatis eam intendere po- rerunt; esto gradus homogenei quantitatis eius intendendi vim non habeant.

Oppones quarto. Cum calor internus valde in aqua productiua, ac postea in absentia ignis re- mittitur; sextus caloris gradus vltimo productus à tertio frigiditatis naturæ gradu destruitur, & postea quintus à quarto, & quartus à quinto, & tertius à sexto, & secundus à septimo, ac demum primus ab octauo, & summo frigiditatis gradu: at, si gradus omnino essent homogenei; neuti- quam octauus gradus frigoris, & primus caloris, & septimus, ac secundus; & sic de reliquis deter- minatè opponerentur; sed potius quilibet gra- dus caloris quibuscumque frigoris aduersarentur ex æquo.

Respondent aliqui, idcirco octauum frigidita- tis gradum primum & non alium destruere, ei- que soli hic & nunc opponi: quia, licet gradus sint homogenei, ordo tamen distinctionis debet esse contrarius ordini productionis: vnde primus caloris gradus eo ipso, quod primo introductus fuerit, vltimo destrui, & expelli debet. Contra tamen; quia ideo in ædificiis, quorum exemplo hi Authores vtuntur ordo destructionis, & ordo constructionis contrarij sunt, partesque prius fa- bricate vltimo destruuntur; quia partes prius fabricate fundamento propiores sunt, aliasque sustentant: vnde propter incumbentem sibi mo- lem tam cito aut facile enerti nequeunt: & gra- dus caloris omnino homogenei ita comparati sunt, vt neuter alteri destinatè incumbat: sed potius omnes subiecto calido innitantur, illudque denominet: cur ergo gradus caloris primo pro- ductus vltimo destrui debet, & primo destrui non possit? siquidem ob huius ruinam reliqui gra- dus minimè corruerent, sed potius in subiecto suo subsisterent.

Quinimò si graduum illorum, quorum alter primo, alter verò postremo productus est, vnus prius alio ex natura rei destrui debet, potius is, qui primo productus est, prius destruendus est, cum reliquis plus durauerit, gradibusque poste- rioribus æqualis cum priori duratio suo quasi iure debeatur. Quapropter melius responderi potest argumento, aut per primum frigiditatis gradum primum etiam caloris gradum, & per secundum frigiditatis secundum etiam caloris, & sic de re- liquis seruata proportionem, destrui, ob rationem iam iam insinuatam: aut certè qualis gradus ex- pellendus sit à solius causæ primæ determina- tione pendere: haud aliter ac in nostra sententia etiam tuente heterogeneitatem graduum, quod hic primus gradus præ alio primo gradu omnino sibi

sibi simili introducat, ab arbitrio etiam solius Dei dependet.

19. Oppones quintum: si primus gradus lucis absolute ac præcindendo à subiecto alium primum gradum lucis producere nequit: aliàs productum vno gradu lucis in quacunque mundi plaga totus terrarum orbis illustraretur, & extensio lucis nullis finibus circumscribi posset, videlicet vno gradu lucis alium diffundente, & hoc aliud, & sic in infinitum. Pari ergo ratione primus, & secundus gradus lucis alium primum, & secundum absolute, & præcindendo à subiecto producere nequibunt, nec ad hoc virtute naturali præditi erunt: at si gradus lucis essent homogenei, posset primus, & secundus gradus alium etiam primum, & secundum producere: siquidem omni proculdubio posset producere in vno subiecto rerum gradum lucis, & in alio alium, itaque duo primus, & secundus essent, si in eodem subiecto reciperebantur. Hoc idem argumentum in calore fieri potest, qui non solum per accidens & ratione contrarij, sed per se extensionis sphaeram habet.

20. Respondeo iuxta Aristotelicam, verioreque sententiam: primus gradus lucis non est indiuisibilis; sed potius in infinitum diuiduus; aliàs lux intensa primo gradu, & secundo, & tertio, & ceteris constans, solis indiuisibilibus constaret: vnde sicut primus, & secundus gradus lucis, iuxta aduersarios, absolute, ac simpliciter producere possunt alios duos gradus lucis, non in eodem subiecto, ne extensio lucis infinita sit; sed in vno subiecto vnum, & in alio alium, vt ita lucis extensio finiatur: ita similiter primus gradus lucis absolute, ac simpliciter producere potest alium primum gradum lucis, non tamen in eodem indiuisibili subiecto ob periculum infinitæ extensionis, sed potius partem primi gradus in vno subiecto, & partem eius in alio, vt ea ratione extensio lucis paulatim diminuat, ac tandem finiatur. In sententia etiam aliter componente continuum, scilicet ex indiuisibilibus finitis argumento facile responderi potest: nam, iuxta ipsos aduersarios graduum heterogeneitatem amplectentes, duo gradus indiuisibiles lucis alios duos absolute, ac præcindendo à subiectis producere possunt: vnum verò gradum indiuisibilis lucis alium indiuisibilem producere nequit: cur ergo, qui gradus esse homogeneos nolumus, pari iure tueri non possumus primum, & secundum gradum indiuisibilem, alium etiam primum & secundum absolute, ac præcindendo à subiecto præcindere posse; primum tamen gradum indiuisibilem lucis alium primum producere non posse: videlicet ob inconueniens quod hinc, non verò inde sequitur.

21. Oppones sexto, & vltimo: cum calidum vt septem, & frigidum vt septem concurrunt, & inuicem applicata colluctantur in instanti temporis applicatione immediate sequenti datur actio, & repassio: & in altero subiecto septimus caloris gradus destruitur; & aliquis frigiditatis gradus in eo extrinsecus producit: in altero vero septimus frigiditatis gradus in eo extrinsecus producit: in altero vero septimus frigiditatis gradus destruitur: at nullus caloris gradus in illud imprimatur. Porro autem pro priori naturæ ad huiusmodi actionem, & repassioem gradus aliqui frigoris intelliguntur existentes, ij nimirum, qui resistunt repassio-

ni, ac postulant ne per eam nisi vnus frigoris gradus depellatur, quique etiam actioni incumbunt, & frigoris impressione contrario suo mutam gratiam referunt. Deinde pro eo priori naturæ ab aliquo frigoris gradu, septimo nimirum, qui expellendus est, omnino præcinditur: aliàs si pro eo priori naturæ intelligeretur existens, certè in eodem instanti reali talis gradus, eiusque carentia simul existerent.

22. Tunc vltra: nulla est ratio ob quam à septimo illo gradu præ alio quouis tunc præcindatur, nisi quia natura sua septimus est, in talique euentu præ reliquis omnibus expellendus, videlicet quia reliquos suapte natura supponit; hoc autem absque eo quod à reliquis specie differat intelligi nequit. Quod verò alia ratio eius præcisionis assignari non possit, perspicuum videtur: siquidem non ideo præcinditur à septimo illo gradu, tanquam pro posteriori expellendo, quia ordo expulsionis est contrarius ordini introductionis, & cum sit vltimo introductus ille gradus, primò expellendus est, si quando aliquis expelli debet: tum quia fieri potest, vt in subiecto omnes septem frigoris gradus simul introducti fuerint, vt cum Deus elementum aquæ primò creauit: tum etiam ob rationes, quibus paulò supra hanc vtriusque illius ordinis contrarietatem oppugnauius. Rursus, quod solum restat, in determinationem causæ primæ reuocari non debet, quod pro illo priori naturæ ab vno gradu potius quam ab alio, velut posteriori expellendo, præcindatur: cum enim pro eo priori nondum intelligatur calor introductus, non est cur Deus expulsionem illius gradus decernat, ab eoque præcindi faciat.

23. Respondeo: quemadmodum Angelus prout existens in instanti A postulat innatè infertque conseruationem sui pro instanti B, non verò prout existens in ipso instanti B: aliàs prius natura, quam in eo existeret censeretur in eo existens, & conseruatus, vt intuitu constabit, & alibi ostendimus: ita similiter, cum septem gradus frigoris, septemque caloris in diuersis subiectis concurrunt, & applicantur, innatè postulant, vt in instanti sequenti, quo futura est actio, & passio, non omnes destruantur; sed potius sex illorum conseruentur. Deus autem huic eorum appetitui stare tenetur, ne muneri causæ primæ defuit, ac proinde determinat decreto aliquo efficaci fenos frigoris, totidemque caloris gradus conseruare, eos nimirum, quos ipse eligit, cum omnes omnino homogenei sint: hinc est vt à septimo frigoris gradu pro priori naturæ instanti realis sequentis præcindatur, quia quamuis nondum determinauerit Deus illam destruere eo quod nondum introductus sit calor; tamen pro illo priori non determinat illum conseruare, sicut alios sex omnino similes conseruare decernit. Quo circa non ob id præcinditur ab eo gradu, quia est dissimilis ceteris ac natura sua septimus, nec etiam ille gradus est vltimo productus: aut quia Deus destructionem ante productionem caloris decernit: alterumque, aut alterum ex nostra sententia sequi immerito aduersarij existimant.

24. Gradus intensiois esse homogeneos tenet Pater Vasquez in 1. 2. tomo 1. disput. 82. cap. 6. Rubius 1. de generatione cap. 8. tract. 8. quest. 5. Arriaga de generat. disp. 3. sect. 3. Okam. in 3. q. 6. Greg. in 1. distinct. 17. quest. 4. & Gabr. in 3. d. 13. In eadem sententia sunt Comimbrienses 1. de generat.

generat. cap. 4. quæst. 2. Niphus 8. met. quæst. 11. cap. 4. Tolet. lib. 1. de gener. c. 4. & nouissimè Ioannes Baptista Nouatus de eminentia Dei paræ tom. 2. cap. 6. quæst. 23. Quamuis in eo mihi displiceant hi Authores, quod non solum de facto intensiorem fieri per gradus homogeneos censent, verum etiam aliter fieri non posse reuoluant,

CAPVT III.

An gradus intensiōis heterogenei sint?

25. **S**ecunda nostræ sententiæ pars est, intensiorem fieri posse per gradus dissimiles, seu heterogeneos, ac satis probabile esse, quod per eos etiam de facto fiat, hoc autem constabit solutione argumentorum, quæ in contrarium adduci solent. Oppones igitur primò: gradus intensiōis inuicem vniuntur: res diuersæ speciei inter se vni inueniunt: verum si formæ animalium perfectorum diuisibiles sunt, ac partibus constantes dissimilibus vt multi autumant, sanè res diuersæ speciei inuicem continuari possunt, tamen si diuersa subiecta sortiantur: à fortiori ergo vniiri poterunt, cum idem omnino subiectum sibi vendicant, vt in intensiōe vsuenerit. Quod si diuersitas specificarum vniōi obest, dic gradus intensiōis soli subiecto quod afficiunt, non verò sibi ipsis inuicem vniiri.

26. Oppones secundò: si plures gradus homogenei lucis in eodem subiecto collocentur, proculdubio visus maiorem lucem conspiciet: ergo intensiorem; aut certe experientia omnes, quibus intensio qualitatum comprobatur, nihili faciendæ sunt: ergo intensio per gradus homogeneos fiet. Respondent aliqui, in eo euentu visum percepturum maiorem lucem quasi extensiuè, non vero intensiuè: haud aliter ac si quis videret duos subiecta lucida inuicem penetrata, maiorem quidem lucem perciperet, non tamen intensiorem, quam si alterutrum videret, eo quod intensio qualitatis, nisi in ordine ad idem subiectum, intelligi nequeat. Hallucinantur tamen: quia accedens non solum potest esse intensum in ordine ad subiectum, verum etiam in ordine ad locum; cumque plura accidentia, aut potius accidentium gradus in eodem loco sunt, tamen in eodem subiecto non sint intensiōem constituent, vt videre est in accidentibus eucharisticis: quare etiam, cum duo subiecta lucida in eodem loco penetrantur, eorum lux commissæ non solum maior, sed etiam intensior erit: & quidem aliter omnes experientia, quibus intensio probari consuevit, nullæ erunt, vt in argumento bene obicitur. Respondet igitur primo per instantiam: quia si plures gradus heterogenei in eodem subiecto constituantur visus maiorem lucem percipiet: ergo etiam per gradus heterogeneos intensio fiet. Deinde absolutè respondeo id solum argumento concludi, intensiōem fieri posse per gradus homogeneos, non verò per illos de facto fieri: in eo siquidem euentu visus perciperet maiorem lucem, non tamen eodem modo, eademque ratione, qua modo eam percipere solet.

27. Oppones tertio: qualitas intensa constat partibus infinitis: tum quia qualitas externa his constat: tum etiam, quia aliàs alteratio intensiua non

posset aut velocior ac velocior, aut tardior ac tardior in infinitum esse, vt supra libro tertio tr. 6. expendimus: at qualitas intensa non constat partibus infinitis heterogeneis: ergo solum homogeneis. Minor suadetur: quia si partes infinitæ qualitatis intensæ essent heterogeneæ, ac dissimiles; iam determinatæ, non vero indeterminatæ essent: at infinitas partium determinatarum repugnat. Verum vt hoc modo aliqua pars determinata dicatur satis superque est, vt ab alia quauis solo numero distinguatur: & quamuis etiam sufficiat, necesse tamen non est ad determinationem partis, vt ea à quauis alia specificè distinguatur: ergo seu qualitas extensa partibus infinitis homogeneis constet & æquo infinitis partibus determinatis constabit; si quid propositum argumentum valet. Deinde pars determinata intensiōis est, non quæ specie aut numero ab alia distinguitur, sed quæ magnitudinem, ac quantitatem nobis perceptibilem continet: omnis autem pars præ exiguitate sua à nobis imperceptibilis eo ipso indeterminata est: cum ergo infinitæ partes heterogeneæ qualitatis intensæ ita comparatæ sint, vt nulla earum per se sentiri possit; sed præ exiguitate sua sensum nostrum subterfugiat; certè non determinatæ; sed indeterminatæ erunt.

Oppones quartò: non sunt multiplicandæ sine necessitate: ergo neque diuersificandæ specie sine necessitate: cum igitur nulla necessitas vigeat, ob quam gradus intensiōis heterogenei ac specie diuersi esse debeant; certè homogenei de facto saltem erunt. Verum in primis authores in fine capitis præcedentis relati necessitatem specificæ diuersitatis graduum argumentis suis probasse sibi videntur. Deinde sicut non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate, ita non est recurrendum ad determinationem causæ primæ absque vrgenti etiam necessitate. At si gradus sint homogenei, quod septimus gradus frigoris v.g. præ reliquis expellendus sit, ad determinationem causæ primæ reuocandum est, si gradus sint homogenei, cum tamen si heterogenei sint, ex ipsis graduum naturis id proficiatur, & ex eo quod septimus gradus suapte natura septimus sit, & reliquos supponat; atque adeo non priores natura; sed posteriores natura destrui debent; sicut in demolitione ædificiorum contingit: ergo non magis gradus homogenei esse debent, ne sine necessitate species multiplicentur, quam heterogenei, ne etiam sine necessitate ad determinationem causæ primæ recurratur.

Oppones quintò: gradus sunt æquales: ergo & homogenei. Antecedens multis argumentis infra capite sequenti ostendetur: Consequentia videtur perspicua: quia in creatis duæ res æquales homogeneæ & eiusdem speciei necessariò sunt; vnde enim earum diuersitas nisi ex perfectionis inæqualitate proficisci potest? Verum antecedens satis probabiliter negari posse infra constabit. Consequentiam etiam esse nullam & ex æqualitate graduum haud bene inferri earum homogeneitatem, & similitudinem in metaphys. suadebitur, cum sermo fuerit de æqualitate nostrarum animarum. Itaque licet gradus intensiōis in alia rerum serie possint esse homogenei; at valde probabile est quod de facto sint heterogenei. Atque hoc posterius Suarez tomo 2. Metaphys. disp. 46. sect. 1. Hurradus disp. 5. de generat. & corrupt. sect. 6. subsect. 2. Lugo in tomo de Incarnat. disp. 5. sect. 7.

sect. 7. Tellez disp. 66. Metaphys. sect. 2. Fracostorius lib. de sympathia cap. 6. & quod attinet ad qualitates vniuocè operantes, cuiusmodi sunt lux calor, &c. Compton. disp. 10 de gen. sect. 2. etsi de qualitatibus aut non operatiuis, aut tantum æquiuoce operatiuis aliter sentiat.

CAPVT IV.

Quid de qualitate graduum sentiendum sit?

30. Tertia nostræ sententiæ pars est, intentionem fieri posse per gradus æquales in perfectione, ac verisimillimum esse, ita etiam de facto fieri. Oppones primò: gradus intensiōis sunt diuersæ speciei ob argumenta illa quæ supra capite secundo proposita sunt: at in creatis res diuersæ speciei æquales esse nequeunt: ergo gradus intensiōis æquales esse nequeunt: ergo gradus intensiōis æquales non sunt. Verum maior faciliè negari potest ex dictis capite secundo: & vnionem falsam esse in loco constabit.

31. Oppones secundò: vnus gradus caloris omnino æqualis alteri simul cum illo subiectum magis calidum efficit: ergo à fortiori vnus gradus caloris alio maior, ac perfectior subiectum magis calidum efficit: ergo intensio, ac excessus caloris per gradus perfectionis inæqualis optimè explicari potest. Hoc argumentum id tantum probat, fieri posse, vt qualitas per gradus perfectione inæquales intendatur; non verò quod de facto ita vluueniat.

32. Oppones tertio: calor intensus perfectiores operationes, perse loquendo, sortitur, quam calor extensus: siquidem calor intensus ad formam substantialem ignis disponit, ad quam tamen calor quantumlibet extensus disponere nequit: at perfectione effectuum, & operationum perfectionem etiam principiorum metiri solemus: nec alia de causa hominem equo perfectiorem iudicamus. Respondeo, quod calor intensus ad formam substantialem ignis disponat, non à mera eius entitate proficisci, sed ab eius vnione quoad omnes suas partes cum vno eodemque subiecto: cum tamen partes caloris extensi per plura subiecta dispersæ sint: huc enim spectat vulgare dictum: *Virtus vnitæ fortior*.

33. Dices: ergo saltem vnio caloris intensi erit substantialiter perfectior vnione caloris extensi; cum calor intensus, & vnitus, magis perfectè operetur, quam calor extensus, prout etiam vnitus: consequens autem est absurdum: siquidem vnio intensiua, & extensiua, quamuis specie logica differant, vt sæpè sæpius in simili facti sumus; ceterum specie physica, & perfectionis gradu differre nequeunt, cum vtriusque extrema eiusdem perfectionis & speciei sint; qua ratione vnionem essentialiẽ hominis per totius corporis membra fusam, eiusdem vbique perfectionis esse, eiusdemque speciei physice edocebimus infra libro decimo.

34. Respondeo: quemadmodum plures homines plura pacis, & belli opera perfectissima exercere possunt, si quodammodo approximati sint, & in vnum exercitum, aut ciuitatem confluant; quæ tamen exercere non possent, si omnino separati, & distantes essent: quin tamen hinc se-

quatur, homines perfectius existere in loco cum prope se existunt, quam cum inuicem longissimis interuallis distant: ita similiter gradus caloris in eodem subiecto per intentionem vniti perfectius operabuntur, quam si diuersis subiectis per extensionem vsiantur, quin propterea vniones intensiua & extensiua quoad perfectionem æquales esse debeant. Respondeo secundò: sicut calor extensus potuit esse intensus: ita similiter quamuis vnionem extensam potuisse esse intensam, siue caloris intensi vnionem, videlicet si cum aliorum graduum vnionibus respectu eiusdem subiecti coniuncta fuissent, atque adeo vniones intensas & extensas, per se loquendo, eiusdem perfectionis operationes respicere, & ad formam substantialem æque disponere posse, sicut ad earum æqualitatem oportet.

35. Quod diximus, gradus intensiōis esse æquales, necnon similes, assertores habet eos, quos supra cap. 1. ad finem retulimus. Quod verò asseruimus gradus intensiōis æquales esse tametsi diuersæ speciei, ac dissimiles sint, non paucis recentiorum philolophorum placuisse comperio.

CAPVT V.

Quid de inæqualitate graduum sentiendum sit?

36. Quarta nostræ sententiæ pars sit, gradus intensiōis inæqualis perfectionis esse posse, satque verisimile esse, quod de facto etiam eam inæqualitatem sortiantur. Hoc etiam solutione argumentorum perspicuum erit. Quapropter oppones primò. Gradus intensiōis sunt similes & eiusdem, non verò diuersæ speciei, ob ea argumenta, quæ supra capite secundo proposita sunt: partes similes nequeunt esse inæqualis perfectionis, sicut è conuerso res dissimiles non possunt esse æqualis perfectionis: vt patet in mysterio triados, in quo id mirabile est, quod cum dissimilitudine personarum earundem æqualitas cohareat. Verum huic argumento respondeo, negata maiori: iis de causis, quas supra capite tertio proposuimus.

37. Oppones secundò: cum subiectum redditur valde calidum; aut per gradus æquales calefit, & ita intensum habetur: aut per gradus inæquales; & tunc sublato primo gradu caloris, & remanente saltem diuinitus solo secundo gradu; vel subiectum manet tam calidum vt solius secundi gradus, ac antea per primum, & secundum; & sic intensio caloris non habet latitudinem gradualem, sed in solo vno gradu perfectiori consistet in huiusque præsentia gradus anteriores superfluent, quod tamen capite primo impugnatum manet: vel in eo euentu subiectum erit minus calidum, quam antea, & sic accessio gradus minus perfecti ad perfectiorem subiectum magis calidum efficit: ergo à fortiori gradus æqualis alteri simul cum illo subiectum magis calidum efficit. Respondeo, hoc argumento solum concludi, possibilem esse intentionem, quæ per gradus æquales fiat; at quod de facto ita ferere habeat, neutiquam eo conuinci.

38. Oppones tertio: si duo luminosa concurrant, vnumque in sphaera actiuitatis operetur; ambo certè in aliqua æris parte intentionem lucem producent

producent, quàm si ibi alterum seorsum ab altero illuminaretur: ex eo quod duo luminosa prope se ponantur, neutrum eorum perfectiorem effectum producat, cum alterutrum alteri omnino extrinsecum sit: ergo intensior lux eo ipso perfectior non est. Rursus oppones quartò: & præcedens argumentum corroborabis. Si luminosum in opacum incidat, intensius quam antea operabitur, ut quidquid extensionis ei deperit, intensione lucis compensetur; at luminosum, eo quod in alicuius loci opacitatem incidat, perfectiorem quam antea lucem non producat: cur fortuitus ille euentus eius operationem perficiat? ergo intensior lux non est perfectior.

39. Ad prius tamen argumentum respondeo, negata eius minori: cum enim virtus omnis unita fortior sit; quid mirum, si duo luminosa, cum in eadè quasi actiuitatis sphaera uniuntur, perfectius quàm antea operentur? Sic etiam in opposita sententià octo gradus caloris seu similes, seu dissimiles sint, subiectū suum ad formam substantialem ignis ultimo disponunt. Quod si quatuor illorum in vno subiecto, & alij quatuor in alio existerent, ad eam ita non disponerent: ergo iam octo gradus caloris coniuncti ad effectum perfectiorem dispositiue concurrunt, quàm si seiuncti, ac distantes essent: idem ergo de duobus luminosis dici potest, ac debet. Ad secundum argumentum similiter respondeo, non esse mirum, quod luminosum in opacum incidens intensiue perfectius operetur quàm antea: siquidem in tali euentu extensiue imperfectius operatur quàm antea, ut est exploratum: nec video cur fortuitus ille euentus sit sufficiens occasio huius prioris, & non possit ei priori occasionem præbere.

40. Oppones quintò: si gradus essent inæquales in perfectione, & posteriores prioribus perfectiores essent; hoc ipso & maiori gratia, & dignitate personæ operantis, eius merita cæteris paribus crescerent: consequens est absurdum: ergo, &c. Maior probatur: namque si quis iustus gratulve ut duo, aliusque iustus, gratulve ut sex opus aliquod bonitatis moralis exerceant, ac minus iusto in præmium sui operis tertius gradus gratiæ conferatur, necesse quidem erit, ut magis iusto septimus gradus gratiæ conferatur, (aliquod enim augmentum gratiæ ei debetur, nullum autem septimo gradu minus esse potest:) at septimus gradus gratiæ est longè perfectior tertio gradui: ergo alteri maius præmium, quàm alteri confertur: at non ob maiorem dignitatem operis, quàm utrobique æqualem esse supponimus: ergo solum ob maiorem dignitatem personæ operantis: ex hac igitur merita, & præmia crescunt.

41. Consequens autem minoris absurdum esse breuiter ostenditur: primò quia fieret, personam magis sanctam remissiue operantem plus semper mereri, quàm hominem minus sanctum intensione operantem. Si enim duobus gradibus gratiæ, quos hic antea habebat, centum gradus per modum præmij addantur; certè mille gradibus, quos ille antea habebat, saltem vnicius gratiæ adijcitur: millesimus autem primus gratiæ gradus cæteris omnibus superioribus perfectior est. Secundò, quia si merita possunt semel crescere & maiori gratia, certè & gratia consequenti crescent. Si enim iusto alicui præceptum diligendi Deum in instanti imponatur, omnis eius iu-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

stitia, & gratia à dilectione Dei præcepto iniuncta dependet, velut à conditione sine qua non conseruaretur: quare est consequens dilectionem Dei; atque aded hac vel à nulla gratia; vel certè à gratia consequenti dignificabitur, magisque meritoria reddetur. Quod autem merita ex gratia consequenti crescere nequeant, videtur perspicuum: quia aliàs quiuis actus iusti esset magis, magisque in infinitum meritorius, atque innumerabiles gradus gratiæ obtineret: nam ratione gratiæ consequentis per modum præmij aliquid gratiæ amplius mereretur, & ratione etiam huius aliquid aliud, & sic absque vilo termino, ubi vnum gratiæ præmium alterius quasi meritum esset.

Ab hoc argumento Theologico breuiter quidem, proptè nostri instituti ratio postulat, me expedio. Atque in primis eius minor à multis satis probabiliter negari solet. Ex quorum sententia ad primam eius probationem dico, hominem minus Sanctū tanta intensione operari interdum posse, ut meritum hominis sanctissimi non solum æquet; sed etiam superet, itavt si hic vnum gratiæ gradum supra millesimum mereatur, fiat ut ille decem, aut cētum pluresve supra millesimum, ipsamque millesimum supra anteriores, quos habuit, mereatur. Ad secundam probationem ex iisdem Authoribus dico: cum iustus præcepto diligendi Deum vrgetur, eius gratia & iustitia per accidens est consequens dilectionem Dei: cuius signum est, quia si præceptum per accidens ignoraret, aut tale præceptum positum non esset, seorsum à dilectione illa Dei pristina gratia, & iustitia eius hominis ei facta tecta maneret; at gratia collata intuitu operis, & per modum præmij est gratia consequens per se, & non per accidens opus bonum: nisi enim præcederet opus bonū, in nullo euentu præmium gratiæ iusto conferretur: quocirca ex gratia consequenti per accidens dignificari potest meritum operantis; secus verò ex gratia consequenti per se: priorem autem dignificationem probant aduersarij: non verò posteriorem; ex qua sola processus in infinitum rectè sequi videtur.

42. Maior etiam argumenti propositio negari potest. Ad eius probationem respondeo, gradus gratiæ non esse indiuisibiles, proptè ab aduersariis falso supponitur, sed potius in infinitum diuisibiles: quare, cum iustus ut duo merito sui operis tertium gradum gratiæ obtinet, iustus ut sex æqualiter operans non meretur totum integrumque septimum gratiæ gradum, sed aliquas eius paucissimas partes: at plures secundi & imperfectiores gradus æquivalent fortasse paucis sexti, & perfectioris gradus, & ad æque claram, ac perfectam Dei visionem obtinendam deservire possunt; haud aliter ac plures argenti partes paucioribus auti in ordine ad vsum hominum æquivalent: unde vterque iustus inæqualiter talis, æqualiter tamen operans æquale præmium merebitur. In sententia etiam constituyente continuum omne ex solis indiuisibilibus finitis responderi potest, septimum gratiæ gradum, licet tertio perfectior sit, tamen non magis excedere sextum, quàm tertius secundum excedit: cum ergo non nisi pro mensura excessus aliorum supra alios gratiæ gradus hominem magis sanctum denominent; in eo verò quo æquales sunt, eum magis non sanctificant; alias

Z

alias intensio gratiæ per gradus æquales fieret: certe septimus gradus gratiæ, quæ est eius indiuisibilitas, totus & integer iusto vt sex collatus haud magis eius sanctitatem promouebit, quam sanctitas iusti vt duo æqualiter operantis per tertium gratiæ promouetur: ac proinde ambo æqualiter merebuntur. Summa est, quod præmium vtriusque est solus excessus tertij, & septimi gradus respectu aliorum superiorum: cum ergo excessus vtriusque gradus sit æqualis, præmium etiam vtriusque iusti æquale erit.

CAPVT VII.

De intensione actuum intellectus, & voluntatis absque additione graduum?

44.

Arbitor qualitates intentionales, cuiusmodi sunt actus intellectus, & voluntatis, absque additione graduum intendi, & absque eorundem detractioe remitti: sola videlicet actus imperfecti in alium indiuisibilem perfectiorem; aut perfecti in alium minus perfectum mutatione. Hæc, quæ quinta, & vltima nostræ sententiæ pars est, hunc in modum probatur. Si actus voluntatis additione graduum intendi posset, etiam actus inefficax voluntatis posset reddi efficax additione partium similium, aut dissimilium: consequens est absurdum: ergo & illud, ex quo sequitur. Sequelam probō: quia calor inefficax ad ignem, additione graduum redditur efficax ad productionem ignis: ergo si actus voluntatis graduum etiam capax est de inefficaci ad efficacem migrare poterit. Consequens autem absurdum esse manifestè hoc argumento suadetur: si quidem actus inefficax odij v.g. quantavis additione partium non redditur incompossibilis cum amore efficaci circa idem obiectum: ergo nec efficax: antecedens probatur: si quis haberet ex octo motibus octo actus inefficaces odij, siue nolitionis, adhuc cum hic omnibus componi posset actus efficax amoris, aut volitionis circa idem obiectum, vt experimento constat in eo, qui aduersus consilia plurimorum, quæ nonnullam vim ei afferunt, rem tamen quam dissuadent aggredditur: ergo a fortiori, esto circa idem obiectum, idemque motuum multiplicentur volitiones inefficaces, non obstante ea multiplicitate semper erunt compossibiles cum amore efficaci eiusdem obiecti.

45.

Arguo secundo: quia si actus intellectus additione graduum intendi posset, actus obscurus reddi posset clarus circa idem obiectum: consequens est absurdum ergo. Sequela probatur: quia lux remissa, & obscura additione graduum peruenit ad claritatem lucis intelsæ: actus intellectus est quædam lux, & claritas intentionalis: ergo si graduum capax est, eorum accessione obscuritatem cum claritate commutare poterit. Minor autem probatur: tum quia sequeretur fidem alicuius mysterij posse fieri notitiam eius euidentem; quod tamen aperte repugnat, cum fides obscuritatem essentialem habeat, & argumentum rerum non apparentium in scriptura definiatur: quocirca non magis fides in notitiam euidentem, quam animal rationale in irrationale transire potest: tum etiam quia actus naturalis additione partium nequit effici supernaturalis, vt nemo non dabit: idem

igitur dicendum est de fide, & visione beata: sic vt enim actus naturalis & supernaturalis à diuersis principiis oriuntur, & ad diuersos status attinent: alter nimirum à principio supernaturali; alter à principio naturali: alter ad statum gratiæ; alter ad statum naturæ; sic fides, & visio Dei ita instituta sunt, vt altera ad statum viæ, altera ad statum patriæ attineat: & vna à lumine fidei; alia verò à lumine gloriæ oriatur.

46.

Arguo tertio. Deus etiam obiectum creatum modo inefficaciter; modo remissè, modo intensè amat: at non per additionem, aut detractioem graduum realiter distinctorum: idem ergo de voluntate creata dici poterit. Dices, ex eo quod Deus non discurret ab vno actu ad alium inferri nequit, nos etiam discursus expertes esse: ergo similiter ex eo quod amor diuinus modo efficax, modo inefficax, modo maior, modo minor respectu alicuius obiecti sit absque additione, aut detractioe graduum perperam inferitur, id ipsum de actibus nostræ voluntatis dicendum esse. Respondéo, imperfectionem discursus absque vilo discursu velsola experientia in nobis compertam esse, cum tamen intensio gradualis actuum nostri intellectus, & voluntatis nulla experientia, ac nulla etiam ratione colligi possit: proinde, &c.

47.

Quapropter quarto & vltimo argumentor. Rationes, quibus probari consuevit, qualitates physicas additione graduum intendi, eorumque detractioe remitti, in actibus intellectus nullam vim habent: cuiusmodi ergo multiplicitas graduum tanquam superuacanea reici debet. Antecedens probatur: namque in primis, quod ex intensione qualitatis physice minimè graduale sequitur, solum esse destructiuum lucis, & ignem caloris, id in intellectu, & voluntate inconueniens non est, sed potius necessariū: si quidem voluntas pro inata sibi libertate modò actum aliquem producere, modò destruere potest: intellectus etiam ad productionem, & destructionem suorum actuum, tametsi liber non sit, indifferens tamen est. Deinde quod ex intensione caloris neutiquam graduale deducitur, calorem intensum aquæ remitti non posse; videlicet quia calor remissus nec ab aqua, nec ab alia causa denuo produci potest: hoc, inquam, in intellectu, & voluntate non sequitur: si quidem, cum voluntas remissius quam antea, amat, ipsa morem minus perfectum efficit, & intellectus etiam actum magis clarum cum minus claro commutare potest. Tandem, quamuis experientia nobis constet, alterationem intensiuam, & continuam, nouumque calorem in subiecto absque vlla interruptione semper produci, at quod nouos intelligendi, & amandi actus continuo producamus quoniam experimento nobis constare poterit: cum inopia spirituum animalium exercitium intelligendi, & amandi crebro interrumpi faciat, & si quando continuatur, non tam nouorum actuum productio, quam priorum conseruatio continuata esse videtur.

48.

Et quidem maiorem claritatem actuum intellectus, quam nos eorum intensioem ex communis antiquorum, & recentiorum Doctorem loquendi modo, appellauimus, haud fieri additione gradus ad gradum, sed mutatione vnius cognitionis in aliam specificè diuersam, & perfectiorem tuerent nobiscum Salas 1. 2. tom. 2. tract. 10. disput. 1. sect. 2. num. 4. & disput. 2. sect. 4. num. 8. ac Pet. VVading. de Incarnat. disput. 6. dub. 3. §. 4.

Quamuis

Quamvis autem hi Authores è contrario existimant actus voluntatis gradualiter intendi, partiumque similium, aut dissimilium additione maiorem, magisque efficacem propensionem ad obiectum eos sortiri: ceterum hoc falsum esse constat, & ex dictis supra, & exinde etiam quod nulla ab ipsis solida ratione probetur. Fugient item ex toto nostræ sententiæ de intensione actuum intellectus & voluntatis Durandus, Gofredus, & alij, quos cap. primo retulimus.

CAPUT VII.

De intensione per actionem reflexam.

49. **A**ctio in directam, & reflexam diuidi consuevit. Actio directa est, cuius terminus ab agente principali linea recta egreditur: reflexa verò est, cuius terminus eadem linea ad agens principale reuertitur. Dubitabis tamen primò, an actio reflexa qualitatem semper intendat; vel aliquoties eam duntaxat extendat, & si ea extensio intensiois speciem præ se ferat? Sunt enim nonnulli, qui existimant, lucem per reflexionem non intendi propriè, sed solum extendi, quatenus corpuscula opaca aëri intermixta per actionem versus vnum tantum latum illuminantur & per actionem reflexam versus aliud latum luminoso obuersum collucunt. Verum hæc opinio impugnatur, & actionem reflexam non minus quam directam intensiois deseruire posse suadetur; primò, quia calor per reflexionem intenditur, & non solum extenditur, siquidem calor corpusculi aëri intermixta penetrat, eaque versus omne latum vniformiter difformiter calefacit: quare actio reflexa caloris cum non nisi in subiecto calido producit, sicuti ad intensioem oportet: cur ergo lux per actionem reflexam intendi nequeat? Dices, quia corpuscula opaca calore directo, non verò luce directa penetrari possunt. Contra tamen: quia nubes latis densæ, & compactæ luce penetrantur, atque ob id varios colores aspectui obiciunt: qui ergo fieri poterit, vt corpuscula illa aëria, nubibus minus crassa, opaca tamen, & luci omnino imperuia sint? Deinde quamvis eiusmodi corpuscula per reflexionem extensiuè tantum illuminari possint ob eorum opacitatem; cur aër suapte natura diaphanus per actionem reflexam lucem non solum extensam, sed etiam intensam recipere nequeat? haud secus ac calor per reflexionem non solum extenditur, sed etiam intenditur.

50. Secundò impugnatur ea opinio: quia iuxta eam si quis respiciat directè lucem, & retro luminosum se collocet, non apparebit ei aër magis lucidus, cum datur reflexio lucis, quam si non daretur. Siquidem in eo euentu non videbit latera corpusculorum sibi obuersa, ac per reflexionem denuo illuminata. Consequens autem experientiæ repugnat. Tertiò tandem impugnatur ea opinio: quia species diuersæ, & reflexæ eiusdem obiecti in eodem subiecto videlicet in pupilla vel in aëre recipiuntur: ergo etiam lux directa, & reflexa in eodem subiecto suscipientes, sicut ad intensioem oportet.

51. Dubitabis secundò, cum lucerna v.g. in locum opacum incidit, à quonam agente tunc reflexio

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

lucis producat? Aliqui enim à sola lucerna: aliis à sola luce directa per aëra sparsa, & nonnulli à sola luce directa in superficie parietis refracta eam produci existimant. Ego vero nullam ex his causis à productione lucis reflexæ arcendam esse arbitror. Ea namque causa lucem reflexam intendit, quæ ab eius extensione per actionem directam impeditur: actio enim reflexa, & intensio eam terminans ad id à natura prouisa est, vt damnum actionis directæ & extensionis compenset: vnde ei agenti assignanda est, cui corpus obuium damnosum fuit: at lucerna, & lux aëris intermedij, necnon lux in extrema parietis planitie supernatans sublato corporis opaci impedimento lucem extenderent, & actionem directam magis proferrent: igitur omnes hæc causæ reflectunt, reflexamque intendunt.

Obiicies primò: nequit esse eadem causa lucis directæ & reflexæ; sed lucerna est causa lucis directæ: non ergo reflexæ. Maior probatur: quia cum pila ad parietem impellitur, & à pariete repellitur, non est eadem causa impulsus reflexi, & impulsus directi: sed alter est à proiiciente pilam: alter verò à pariete: ergo similiter, &c. Respondeo: impulsus directus, & reflexus sunt contrarij, & ab eodem subiecto mutuo se abigunt, illudque in diuersas oppositasque partes versant: quare non est mirum, quod non sit eadem vtriusque causa, sicut frigoris, & caloris eadem non est causa. Adde, quod proiciens pilam nec simul cum directo impulsu reflexum etiam, & contrarium in eam imprimere potest: aliàs pila in contrarias partes simul ageretur; nec etiam post impulsu directum producere potest reflexum: quia tunc à pila distat, eamque non contingit. Hæ autem rationes in luce directa, & reflexa non procedunt, vtpote quæ contrariæ non sunt; sed potius in eodem subiecto coherent, quæque etiam in eo à qualitate impulsus differunt, quod sine contactu, & indistantia à causa sua produci possint.

Obiicies secundò: nullum agens se ipsum intendere potest: at, si lux reflexa aëris ab eiusdem luce directa produceretur, lux directa seipsam intenderet. Respondeo: nullum agens se ipsum intendere potest, per actionem directam: vel quia aliàs nulla daretur intensiois sphaera, nullusque terminus, vt superius hoc ipso tractatu ostensum manet: at per reflexionem quæuis qualitas seipsam intendere potest; quia, esto se ipsam ita intendat talis intensiois sphaera optima ratione præscribi poterit: nimirum si qualitas illa per actionem reflexam totidem gradus intensiois in se producat, quot per actionem directam extenderet, si non esset impedita.

Obiicies tertiò: simile non agit in simile: at lux, per superficiem parietis diffusa, est similis luci in aëre existenti, vel quod magis refert, ea remissior est, vtpote quæ à lucerna magis distat: igitur in lucem aëris per reflexionem agere, eamve intendere nequit. Respondeo, in primis simile agere posse in simile per reflexionem, esto directe nequeat, vt paulo supra aiebam. Deinde lucem directam in superficie parietis eminentem esse magis remissam luce aëris, eo quod magis distat ab agente principali: ceterum lucem parietis tam directam, quam reflexam esse proculdubio intensiorem luce directa vicini aëris, ac proinde in illam agere, eamque intendere posse.

Z z CAPUT

CAPVT VIII.

De intensione per anteperistatim.

55. **I**ntensio diuidi solet, in eam, quæ fit per antiperistatim, & in eam, quæ seorsim ab illa exercetur. Porro qualitas aliqua per antiperistatim, siue circumobstentiam producta, & intensior facta, aut est connaturalis subiecto, vt cum æstate calidissimis solibus omnia vstulante, aquæ tamen fontium, ac puteorum frigidiores redduntur: aut huiusmodi qualitas subiecto suo præternaturalis est, vt cum eadem aquæ, hyemali frigore vndique obsessæ tepescunt, & calorem concipiunt. Prior intensio qualitatis est ab intrinseco: quia, cum frigiditas aquæ ad sui conseruationem naturalem quandam inclinationem habet, non est mirum, quod qualitate contraria, calore scilicet, circumcirca oppugnata, hoc ipso se se intendat, & crescente causa sui interitus, arma ad se tuendam sibi prouideat, nouosque frigiditatis gradus in societatem certaminis ac periculi adsciscat. Posterior vero intensio est ab extrinseco: quia interiores telluris partes hyemali frigore compressa exhalationes calidas poris suis inclusas exprimunt, & in aquas fontanas, atque puteales effundunt.

56. Hæc quamuis ita communiter explicari soleant: aliter tamen ab aliquibus explicantur. Quod etiam ad priorem antiperistatim attinet, Marfilius 1. de generat. quest. 18. Venetus, & alij docent, aquas subterraneas æstiuo tempore supra modum frigescere, non quod præuia earum, ac natua frigiditas se se immediate augeat, & intendat, sed quod species intentionales vsque ad circumsians contrarium, ambiensque calidum emittat, quæ ab eo reuerberatæ, & ad subiectum, vnde exeunt, reuersæ vberiore illi frigiditatem iniiciunt. Contra tamen arguo: quia: vt species impressa hominis hominem non producit, non conspicio, qui fieri possit, vt species frigiditatis frigiditatem producat: præsertim, cum vnaquæque species ad obiecti sui representationem, non verò effectiorem primario instituta sit. Secundò quia falso supponitur, species impressas frigiditatis ab ea in distans effundialias aquam frigidam à nobis procul positam sentire possemus.

57. Quod vero attinet ad posteriorem antiperistatim, non pauci cum Galeno lib. 3. de simpl. medicamentis cap. 3. docent, aquam puteorum, ac fontium brumali tempore reipsa calidissimam non esse; esto ob frigus sensiterij valde calida nobis appareat: haud aliter ac in thermis è contrario vsuuenit, vbi si quis aquam tepidam ac modicè calidam basio illaram tangat, eam frigidam arbitrabitur. Contra tamen argumentor: quia si quis valde calidus existens aquas subterraneas tangat, calidas eas experietur: at non ob frigus sensiterij: ergo ob realem, & veram frigiditatem ipsarum aquarum. Adde, quod eiusmodi aquæ hyemali tempore fumant, calidumque halitum, ac vaporem expirant: quod, nisi re ipsa nimis calefcerent, fieri non posset.

58. Alij verò admittunt, aquas subterraneas bru-

mali tempore reipsa supra modum calefieri, non tamen ab extrinseco, sicut nos supra edocuimus; sed ab intrinseco: eò videlicet quod calor valde remissus earum aquarum sese intendat, nouosque caloris gradus producat: haud aliter ac earum frigiditas æstiuo tempore per antiperistatim se se intendit. In contrarium tamen est, quod aqua summè frigida, ac proinde omnis caloris expers hyemali tempore paulatim incalcescit, summoque illo frigiditatis gradu deiciitur: at non vi alicuius caloris remissi, cum nullus præcesserit. Deinde, esto calor aliquis remissus in aqua præcederet, non esset cur ille se per antiperistatim intenderet: frigiditas enim excellens, cui in eodem subiecto commixtus est, eius vim retunderet, maiusque ad intensiorem, sui que augmentum ius, quam calor haberet.

CAPVT IX.

De intensione per reactionem.

59. **A**gentia naturalia qualitates intensas non solum agere, sed etiam redigere tum plerumque philosophorum consensus, tum etiam ipsa experientia suadet: vt enim aliis exemplis supersedeam, si quis lapidem frigidum apprehendat manu, & manus sensim frigescat, & lapis incalcescat. Qui tamen oppositum tueritur, opponunt primò. Calidum, & frigidum aut sunt æqualis intensiõis, aut inæqualis: si æqualis, neutrum qualitate sua alterum ex toto aut ex parte priuat: quemadmodum, si duo homines æqualium virium in porta aliqua concurrant, & vnus ingredi, alius egredi nitatur; neuter alterum loco deiciet: at si calidum, & frigidum reagerent alterutrum qualitatis suæ diminutionem ab altero pateretur. Quod si sint inæqualis intensiõis, solum illud agens, quod intensiori ac fortiori qualitate præditum fuerit, in alterum agat, vt per se constat, & communis illa paræmia significat: *Actio non procedit nisi à proportionem maioris inæqualitatis.*

60. Respondeo tamen, siue agentia contraria æqualia sint, seu inæqualia, reactionis capacia esse. Exemplum autem duorum de loco congradientium parum vrget: siquidem tunc etiam datur reactio: & quamuis neuter alterum de loco deturberet, tamen per mutuum, & contrarium impulsu vnus alium priuat illo impulsu, quo se in alterius locum propellit. Proloquium verò oppositum non de contrariis; sed de similibus procedit; elusque sensus est, fieri non posse, vt cum duo sunt omnino similia in aliqua qualitate, in eaque nullam habent inæqualitatem, alterum tamen in alterum agat, atque illud intendat.

61. Opponunt secundò: cum ignis verbi gratia lignum calefacit vt octo, illudque ad formam ignis vltimo disponit, non potest lignum in eo instanti reagere in ignem, eumve infrigidare, & vi frigoris eius calorem imminuere: aliàs ignis non esset summè calidus siue calidus vt octo, ac proinde ligno calorem vt octo impertire non posset. Respondeo etiam reactio in principio congressus detur, non tamen semper durat: quare, cum quis

qui lapidem frigidum manu apprehendit, reactio tandem aliquando cessat, & manum nostram amplius non frigeri experimur: unde toto eo tempore, quo durat reactio, & repassio inter lignum, & ignem, ignis lignum calefacere nequit, sicut argumento facto conuincitur. Ceterum cum cessat reactio, & lignum igni tandem succumbit, tunc non erit cur ignis calorem ut octo in lignum imprimere nequeat.

62. Opponunt ulterius: si ignis accendatur in vertice alicuius montis niue cooperti; sanè inter niuem & ignem ea parte qua se contingunt non poterit dari reactio: alias una eademque pars ignis summum calorem, & simul aliquem frigoris gradum habebit: hunc videlicet per reactionem ignis: illum autem, vi aliarum partium ignis, quæ non est cur in eodem subiecto tantundem caloris producat, quantum frigoris in eo nix continua producit. Respondeo: cum ignis per reactionem niuis aliquantulum frigeat, & ultimo caloris gradu deiecitur, in eodem instanti accipere non posse à reliquis partibus ignis eundem ultimum caloris gradum, quem amisit: alias eum simul haberet, & non haberet: quare non nisi in instanti sequenti ignis potest vincere niuem, & partem ab ea frige factam ad suum calorem restituere.

CAPVT X.

De intensione quatenus resistentia obnoxia?

63. **R**esistentia qualitativis intensi à se inuicem fieri solita duplex est, positiua nimirum ac negatiua: resistentia positiua cum reactione supra explicata coincidit, & est, qua passum impressione qualitatis contrariæ se ab agente tueretur, ut cum calida frigidis, humida siccis remittuntur, resistentia negatiua est, qua passum absque ullius qualitatis productione agenti obstitit: qua ratione, si cælum formaliter frigidum non est, ab igne elementari se defendit. Prior resistentia à nullo non admittitur: posterior verò, resistentia ab aliquibus negata præsertim in substantiis sublunariis hunc tamen in modum probatur: cum calidum, & frigidum applicantur, non semper durat utrinque reactio, & repassio; sed aliquando cessat: tum videlicet, cum una qualitas nimis augetur, altera verò nimis diminuitur aut absolute, aut respectu subiecti, cui debita est: ergo post aliquod spatium temporis nec calidum in frigidum, nec è contra aliquid operatur: tunc autem utrumvis alteri resistit; propterea enim ab altero nihil patitur, quia ei resistit; at alterutrum alteri non resistit per resistentiam positiuam in actione positam: ergo per solam resistentiam negatiuam, siue per quandam exigentiam negatiuam, qua alterum ab altero nihil amplius pati postulat.


64. Rursus cum calidum ut septem, & frigidum ut septem opponuntur, & in instanti B. sequenti alterum ab altero vnum gradum frigiditatis, vnumque etiam caloris accipit; idcirco eum solum, & non plures accipit, quia pro priori naturæ resistit alterutrum contrario suo: at non-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

dum per resistentiam positiuam: ergo per solam resistentiam negatiuam: maior conspicua est: minor suadetur: quia pro illo priori calidum non producit in contrario suo calorem; sed solum pro posteriori signo naturæ, in quo ab eo frigiditatem recipit: at productio caloris est resistentia positiua: ergo pro illo priori nulla datur resistentia positiua: proxima maior probatur: namque si calidum prius naturæ calorem ageret in contrario suo, quam frigiditatem ab ea repateretur, parique ratione frigidum prius naturæ produceret frigiditatem in subiecto calido, quam ab eo calorem reciperet, productio caloris, ac productio frigoris mutuo, ac vicissim se natura producerent: alterutra enim productio est reactio, & alterutra est repassio: unde si reactio est prior repassione à se distincta, sanè alterutra productio alia prior natura erit.

Tertio ab aliquibus eademmet resistentia probatur: quia ferrum cultro resistit, ne ab eo scindatur: at non per impressionem alicuius qualitatis contrariæ: ferrum enim ferro contrarium non est, nullumque simile in aliud simile qualitates destructiuas imprimit: ergo ferrum cultro non positiuè; sed negatiuè resistit. Hoc argumentum, quamuis probabile sit, probabile tamen est, ferrum cultro imprimere impulsu contrarium, quo eius aciem retundat, atque à se auertat: haud aliter ac pila à pariete quantumlibet immota repellitur.

Porro autem hæc resistentia negatiua in aliquo rerum ordine efficere potest, ut subiectum in fine vnius horæ verbi gratia aliquid ab agente patiatur, à quo in toto spatio antecedenti nihil omnino perpeffum fuit. Ratio est, quia etsi virtus agentis in quouis instanti eius spatij eadem sit, nullumque augmentum recipiat, parique ratione resistentia negatiua passi ab eius entitate, & exigentia indistincta, semper eadem sit: ceterum nec agens est potens in illud passum, nec passum resistit ei agenti pro omni & quouis instanti eius spatij, sed tantum pro aliquibus. Sic materia in instanti, quo habet unam formam, aliam etiam ad quam magis disposita est, postulat; non tamen pro eo instanti; sed pro alio. Sic etiam volitio Dei efficax terminata ad existentiam Angeli in quouis instanti, non tamen pro quouis eam decernit, atque efficaciter producit. Quamuis autem huiusmodi resistentia negatiua possibilis sit, eam tamen actu dari nequitquam crediderim, quin potius cum Themistio lib. 7. physic. & aliis probabilius arbitror, lapidem positum supra asserem, etsi eum continuò non frangat, eum tamen ad fractionem per qualitates contrarias disponere: & stillas, quæ affluo casu excauant lapidem continuò disponere ad scissionem, etsi eum continuò non scindant, neque singulis stillicidiis seorsim sua ramenta respondeant.



TRACTATVS III.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem substantiam; aut è contrario, siue de augmentatione, & diminutione.

CAPVT PRIMVM.

Augmentationis quidditas; à diminutione, & ceteris motibus discrimen; & an fiat tota simul, vel potius successiue & continue?

1. **A**UGMENTATIO est motus à minori ad maiorem substantiam, vt cum ignis è paruo in magnum adolefcit: aut pter ad virilem magnitudinem excrefcit. Per motum, augmentatio cum prima generatione, alioque quouis motu conuenit: per particulam illam, de minori ad maiorem, differt à diminutione quæ potius è contrario est à maiori ad minorem substantiam: nec non etiam à conuersione, quæ non est à minori ad maiorem substantiam, sed ab vna substantia ad aliam omnino diuersam. Per substantiam differt à rarefactione, & intensiōe, quarum altera ad qualitatē terminatur.

2. Porro augmentatio, duntaxat quatenus est ex se, siue, vt aiunt, per se loquendo, à minori ad maiorem substantiam moueri debet: per accidens enim fieri potest, vt vi augmentationis res non à minori ad maiorem; sed è contrario à maiori ad minorem substantiam moueatur: vt cum senex, aut ager augmentantur vi nutritionis, quin tamen in maiorem substantiam crescant; sed potius continuo ab ea decrefcant: decrementum tamen id non oritur à motu quo augmentantur, nutriunturque, nec in eum refundi debet; sed respectu eius per accidens se habet, oriturque à senectute vel ægitudine, quæ in causa sunt, vt viuens plus substantiæ amittat, quàm per augmentationem denuo acquirat, & non tam à minori ad maiorem substantiam gradiatur, quàm à maiori ad minorem regrediatur.

3. Augmentatio trifariam euenire potest: primo, ita vt ad solam vnionem continuatiuam, inter substantiam pristinam, & substantiam de nouo acquisitam terminetur, vt cum duæ aquæ confunduntur, & permiscuntur. Secundo, ita vt ad vnionem inter duas illas substantias, & insuper ad vnionem formæ de nouo acquisitæ cum eius materia terminetur, vt per nutritionem, animæ rationalis vnio cum materia per nutritionem comparata producit. Tertiò, ita vt ad vnionem formæ de nouo acquisitæ cum eius materiæ, nec non entitatem ipsius formæ terminetur, vt cum per nutritionem equi, si eius anima diuisibilis est, non solum vnio continuatiuæ substantiæ de nouo acquisitæ, verum etiam forma partialis equi, nec non eius vnio essentialis cum materia alimentati producit. Quanquam autem augmentatio triplici illo modo vsurpari soleat; ceterum haud

rarò dicitur augmentatio solo priori modo: secundo verò, & tertio modo non tam augmentatio, quàm ag generatio dici consueuit. Quibus constitutis.

Censeo, augmentationem fieri successiue, & continue: ita D. Thomas 3. p. q. 33. art. 1. ibi: *similiter & tertium oportet esse successiuum: tum, quia augmentum non est sine motu locali: tum etiam, quia procedit ex virtute animæ, iam corpore formato operantis, quæ non operatur nisi in tempore.* Quibus verbis asserit, augmentationem corporis Christi in vtero materno fuisse successiuam: quod autem ea successio continua fuerit, & non interrupta, & instantanea, sicuti D. Thomam explicat Hurtadus, perspicuum est: quia si augmentatio illa continua non fuisset, neque etiam in tempore fuisset, cum plura instantia discreta tempus non constituunt. Id ipsum docet Gregorius in 1. dist. 14. quæst. 2. art. 1. Burleus lib. 3. physico. ad text. 6. Sotus lib. 5. physico. q. 3. art. 2. Iandunus lib. 8. q. 2. Amadeus. 1. de generat. q. 2. art. 1. Iauellus de generat. tract. 2. cap. 3. Marfilus quæst. 14. Saxonia quæst. 13. Collegium Conimb. 1. de generat. cap. 5 q. 16. art. 2. P. Rubius ibidem. tract. de augment. quæst. 3. num. 24.

Probatur primò autoritate Aristotelis 5. Metaph. cap. 18 ibi: *alia verò vt motus, & tempus (subaudi quanta dicuntur.) Hæc enim, & quanta quadam continua dicuntur, quia illa diuisibilia sunt, quorum hæc sunt affectiones.* Quibus verbis docet, continuum esse proprietatem motus corporis, haud secus, ac continuitas, & diuisibilitas est affectio eius, quod ita mouetur. At augmentatio est motus: ergo continua esse debet. Deinde, motum (puta corporeum) & tempus quoad continuitatem æquiparat: at omne tempus est continuum: ergo & omnis motus corporeus, qui ab Aristotele solus appellatur motus, censei debet continuus.

Probatur secundo: ignis verbi gratia se se augmentans non insinuat formam suam substantialem simul, & semel in aliquam determinatam partem materiæ, quæ sibi accrescat: ergo eam in quamvis materiæ partem successiue, & continue introducit: consequentia perspicua est: quia si augmentatio, aut quod perinde est, aggeneratio ignis, continua non esset, maximè, quia fieret simul, & in instanti: vnum autem instans alteri immediatum, & continuum esse non potest: cum ergo in instanti simulve non fiat, sanè continua esse debet. Antecedens probatur: quia ignis in materia per augmentationem comparanda agit vniiformiter difformiter: hoc est, prius in propiori parte, & posterius in remotiori, intensiusque in illa, quàm in hac, vt omnium agentium, ipsiusque ignis experientia compertissimum est: ergo assignata quauis parte materiæ per augmentationem comparandæ, ignis prius, & intensius in vna eius parte, quàm in alia operatur, atque aded eam totam simul vltimo non disponit, prout oportet ad simultaneam introductionem formæ in totam illam: igitur continue, & successiue formam ignis in eam imprimit, & non simul, sicuti aduersarij nituntur.

Probatur tertiò: quia non est potior ratio, cur generatio ignis sit continua, quàm eius aggeneratio, siue, augmentatio: at generatio ignis continua, & successiua est: ergo & eius augmentatio.

cio. Maior in proparulo est, & à nemine non conceditur: minor suadetur, quia si ignis prima generatio non continua, & successiva, sed simultanea, & subita esset: maximè, quia ignis certam aliquam, & determinatam portionem materiæ sibi præstitueret; in qua, & non minori naturaliter introduci non posset: quæ portio materiæ ob id minimum naturale appellari consuevit: hæc ratio nulla est: ergo. Minor probatur: quia sicut ignis maximum naturale non fortitur, id est, adeo magnus esse non potest, ut naturaliter maior adiuncto etiam pabulo, esse nequeat: ita similiter non est, cur per se loquendo minimum naturale fortitur, curve scorsim à contrariis signata quavis materiæ parte in aliaminori produci, & conservari non possit.

8. Deinde: esto ignis minimum naturale sortitur, id neutriquam arguit, aut potest, eum simul produci debere; sed satis erit, ut nunquam existere possit, quin certam quandam, ac determinatam magnitudinem sortitur: esto eam non simul, sed successive sortitur; haud secus, ac lapis per montis declivem projectus nequit descendere aliquantulum, quin certam, ac determinatam spatij magnitudinem deorsum conficiat. Ob id tamen necesse non est, ut per totum illud spatium simul, & non continuo, & successive descendat.

9. Probatur quartò: quia augmentatio, quæ fit per nutritionem, est continua, & successiva: igitur idem de quavis alia dicendum est: antecedens probatur: quia si nutritio non esset continua, & successiva, maximè quia fieret per minima in diversis instantibus; formæque substantialis hominis verbi gratia nutritionem effectura non posset prius unam partem minimi subire, quàm aliam: ac proinde totum simul subire deberet: at hoc falsum est: ergo. Minor suadetur: quia idcirco forma substantialis, nimirum anima rationalis, prius unam partem minimi naturalis (quod, iuxta Aristotelem, & Beatum Thomam magnitudinem lapidis non excedit) quàm aliam subire nequit, sed potius totum illud simul, semelque in prima hominis generatione subire debet; quia forma vitalis, qualis est anima, nequit per se consistere nisi in certa, ac determinata materiæ portione; ea nimirum, quæ ad suas functiones exercendas sufficiens sit: at hæc ratio in nutritione hominis non militat; siquidem portio materiæ alimentalis, quantumvis exigua sit, cum per nutritionem materiæ præcedenti adiungatur, ad functiones animæ exercendas, quoad eius est, sufficit: igitur non est, cur anima hominis in nutritione minimum aliquod naturale sibi præscribat, in quod totum simul introducatur.

10. Probatur quintò: in augmentatione hominis anima rationalis extenditur ad maiorem locum, quàm antea occupabat, ut cernere est in puero in vitum crescente: at ea extensio in instanti fieri nequit, sed potius continuè, & in tempore: ergo etiam augmentatio hominis cum ea coniuncta non in instanti, sed continuè, atque in tempore fieri debet. Maior perspicua est: minor suadetur, quia animam rationalem ad maiorem locum protendi, quàm antea occupaverat, est retento pristino loco nouum potiri: at nequit pristino loco retento nouum potiri, nisi continuè, & in tempore: plus enim est retento pristino lo-

co nouum potiri, quàm pristino loco omisso, nouum occupare: anima autem nequit, amisso pristino loco, nouum potiri, nisi continuo, & in tempore: aliàs localiter in instanti, & non continuo, & in tempore posset moveri, quod manifestè falsum est: ergo à fortiori retento pristino loco nouum occupare non potest in instanti, sed potius continuo, & in tempore.

CAPVT II.

Soluntur argumenta quadam aduersus nostram, & veritorem sententiam.

Oppositam sententiam tuerentur Scotus in 4. dist. 44. quæst. 5. Capreolus in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 2. Auerroes lib. 3. Physicor. comment. 8. Albertus 8. Physicor. text. 23. Soncinas 8. Metaphysicæ quæst. 22. Ferrariensis, Pomponatius, Thomas Garuius, Toletus, Hurtadus, Arriaga, alique complures, quos referre superuacat. Arguunt primò: tunc introducitur forma substantialis per augmentationem, cum materia ad eam vltimo disposita est: at vltima dispositio ad formam substantialem in instanti & simul producitur: ergo ipsa forma substantialis simul, atque in instanti in materiam vi augmentationis introducitur: cum ergo nullum instans alteri immediatum, continuūque sit, augmentatio continua esse nequit. Maior certior est, quàm ut probatione indigeat: minor suadetur: quia in continuis non datur primum, & vltimum, nisi ratione indiuisibilem. Vltima ergo dispositio, quatenus vltima, in indiuisibili sita erit: cum ergo indiuisibile non possit produci, nisi in instanti, & simul, ut omnibus exploratum est: sanè vltima dispositio ad formam substantialem, quatenus talem, non nisi simul, atque in instanti fieri potest.

Huic argumento responderi potest primò; in continuo primum, & vltimum duplex esse: aliud à partibus continui indistinctis ad earumque diuisibilitatem diuisibile; qua ratione, si à ligno vnus palmi verbi gratia omnia indiuisibilia abscinderentur, adhuc illud vi partium remanentium primum, & vltimum haberet; & neutra ex parte in infinitum abiret: aliud verò à partibus continui distinctæ, & in indiuisibilibus situm, uti suprà lib. 3. tract. 4. cap. 3. & 4. exposuimus: Tunc ergo introducitur per augmentationem forma substantialis, cum producitur dispositio vltima ad illam; vltima, inquam, intrinsecè, & ratione partium ipsius dispositionis continuæ: non verò cum producitur ea dispositio ut vltima extrinsecè, & ratione indiuisibilem à se distinctorum: cum igitur fiat in tempore, & non in instanti vltima dispositio ad formam priori modo; sanè introductio formæ in tempore, & non in instanti fieri, quantumcūque vltimam dispositio ad formam posteriori modo instantanea, & subita sit. Secundo probabiliter responderi potest; formam substantialem per augmentationem, aliumve motum non introduci in materiam, cum vltimo disponitur, sed immediatè post: cum igitur post instantaneam productionem vltimæ dispositionis tempus sequatur, sanè augmentatio in tempore fiet. Hæc tamen doctrina ita intelligenda non est, ut vltima dispositio, cum non existit;

ad formam disponat: quia post primam, instantaneam que sui productionem non perit, sed conseruatur, & prout conseruata primam formam productionem in tempore comitatur.

13. Arguunt secundo: augmentatio vel est productio vnionis materiae de nouo acquisitae cum pristina materia, vel si pro productione formae de nouo acquisitae sumatur, certe productionem vnionis continuatiuae nuper propositam concomitatur: at productio eius vnionis continuatiuae est interrupta, ac discreta, & non continua: ergo idem de augmentatione dicendum est. Maior in aperto est: minor suadetur: quia vnio continuatiua in indiuisibili sita est: at productio cuiusque indiuisibilis discreta, & interrupta esse debet, non verò continua: cum ea productio in instanti necessario esse debeat, vnum verò instans alteri continuum esse nequeat. Respondeo primo: vnionem continuatiuam in indiuisibilibus sitam non esse, vt supra citato lib. 3. cap. 3. & 4. ostendi. Respondeo secundo: vniam partem corporis alteri vniri, & continuari per superficies, si, vt aduersarij nituntur, indiuisibilia continuatiua admittenda sunt: superficies autem versus longitudinem, & latitudinem diuisibilis est: quod satis superque est, vt eius productio diuisibilis, & continua esse possit: ac per consequens augmentatio in ea productione sita, vel certe cum ea coniuincta diuisibilis, & continua esse poterit.

14. Arguunt tertio: cum animal vi caloris naturalis substantiam alimenti depascitur, tandem deuenire necesse est ad aliquam partem alimenti, in qua pro nullo instanti, aut spatio temporis forma substantialis alimenti conseruari possit: igitur subito, simulque ab ea alimenti parte, eius forma expellitur, & forma viuientis per aggenerationem introducit: ac proinde ea aggeneratione continua, & successiua esse non poterit. Respondeo: nulla pars alimenti adeo exigua esse potest, quin in ea pro tantillo tempore forma alimenti conseruari possit. Ceterum, spatium illud temporis ad conseruationem formae alimentaris sufficiens, adeo exiguum est, vt imperceptibile sit: idque satis est, vt particula materiae, in qua forma alimenti tantulum conseruari potest, & non diutius appellari possit, & debeat nimirum naturale. Deinde respondeo, me neutiquam inficiari augmentationem per accidens interdum interrumpi, vel ratione contrarij alicuius existentis: vel si maior, ob exiguitatem passii applicati, quae ea sit, vt destructio pristinae formae, & aggeneratione formae nouae subita, & instantanea sit; atque adeo continuitatis incapax esse debeat. Quod ergo tantum contendo est, augmentationem per se loquendo esse successiuam, & continuam: huius autem contrarium falsitatis non euincitur argumento facto, vt intuenti constabit.

15. Arguunt quarto: si qua ratione augmentatio continua, & successiua esse deberet, maxime quia agentia omnia naturalia agere debent vniformiter: at hoc est falsum: ergo. Maior nostra est: minor probatur primo: quia Sol intensius speculum, quam aërem intermedium illustrat: quod si lux in speculo refracta non intensius, sed extensius maior alicui videatur; certe negari nequit, solem intensius illuminare lunam, aliaque sydera, quae ab eo lucem mutantur, quam partes cœli propinquiore Soli. Secundo: quia edito alicubi fragore, qui prope consistunt in certa aliqua

distancia, simul eum audiunt: ergo quia fragor ille in certa aliqua distancia simul species sui diffundit: ergo non vniformiter difformiter, siue, quod perinde non est, citius in parte propiori, quam remotiori. Tertio: quia si Sol in quauis parte spatij quo magis ea à se distaret, eo magis in ea lucē suam remitteret: sanè lux Solis in telluris superficie remississima esset: siquidem partes spatij Solem, telluremque interpositae infinitae sunt: lux ergo vbi telluris superficiem lambit, infinite remittitur: at hoc experientiae repugnat, cum lux etiam prope telluris superficiem intensissima saepe sit, eaque, quae valentissimam aciem verberet, atque perstringat.

16. Verum, haec non vrgent. Ad primum respondeo; per accidens quidem ob dispositionem peculiarem passii euenire quandoque posse, vt agens intensius in disito, quam in propinquo operetur, & vniformitatem cum difformitate non coniungat: & hoc solum, & non aliud prima ratio numeri superioris euincit. Ceterum per se loquendo: nullum agens naturale est, quod in operando vniforme, ac difforme non sit; quod satis est, vt per se loquendo augmentatio continua sit, vti supra argumentabar. Ad secundam rationem respondeo: in tota aliqua distancia simul auditur fragor aliquis, eiusque species intentionales simul diffunduntur, eo quod contrario careant: ex quo quia inferat, ea agentia, quae in operando alicuius contrarij luctam pariuntur (de quibus solis quod ad praesens attinet, nobis sermo est) ea, inquam, simul in aliqua certa distancia operari, & non potius, citiusve in ea parte passii, spatijve, quae iis propior est? Aut dic: in quauis distancia ab edito fragore eum non simul, sed successiue audiri. Ceterum, distantiam inter eum, qui prius, eumque qui posterius audit, esse imperceptibilem, ac proinde eam, quae nulla esse videatur: equidem mirum non est, quod ea distantia percipi nequeat, cum distantia cœli, & alicuius cacuminis à longè visi, nullo modo à visu percipiantur.

17. Ad tertium respondeo: Calor feruentis aquae amoto igne decrescit, & remittitur; & quamuis breuissimo temporis spatio, ictu oculi verbi gratia, illud decrementum, siue remissio daret, tamen per infinitas temporis partes durat: at hoc non obstante transacto eo breuissimo temporis spatio, ictu oculi verbi gratia calor intensissimus manet: cur ergo lux in superficie terrae intensissima esse nequeat, quantumlibet post infinitas spatij partes transactas, infinitam remissionem, iacturamque passa sit? Ratio vtriusque est, quia licet lux verbi gratia superficiem telluris lambens infinite minus intensa sit, quam lux immediata Soli: ceterum tota ea infinitas est secundum quid, atque adeo cum absoluta eius intensione non repugnat. Quod autem excessus finitus, quo altera alteram superat, maximus sit, & per tot gradus, quot nemo ferè in numerum redigere possit: quod, inquam, id, quod argumentum conuincit, hic excessus huiusmodi sit, non arguit lucem in telluris superficie existentem, & eque affusam non esse valde intensam, sed duntaxat lucem Soli vicinam incomparabiliter maioris esse intensiōis.

CAPVT III.

Solutio alterius argumenti: ubi an alteratio sit continua?

18. **A**rguunt quintò: alteratio continua non est: ergo nec augmentatio. Consequentia perspicua est: tum ab æqualitate rationis, tum etiam quia alteratio cum augmentatione coniuncta est, ita ut dum una pars corporis per augmentationem comparatur, alia eius pars alteretur, ut experientia testis est. Antecedens verò probatur primo: quia si ignis trabem prope se positam continuè alteraret, ac calefaceret, sanè in ictu oculi totam illam calefaceret, omnesque eius superficies penetraret; siquidem in ictu oculi prope infinita sunt instantia: quare si quouis instanti aliquam trabis superficiem calefacit, sanè in ictu oculi nulla trabis superficies non calefacta manebit.

19. Secundo probatur idem antecedens: quia species soni per totam distantiam spatij, per quam sonus audiri potest, successiue diffunduntur: at ea successio continua non est, sed morulis interrupta: ergo idem de quauis alia alteratione dicendum est. Maior, minorque probantur: quia qui fabro prope adstat, simul mallei flagellum conficit, & sonum audit: qui verò longè abest, prius ictum videt, quam sonitum audiat: ergo quia species auditivæ successiue diffunduntur: cum autem in certa aliqua distantia simul, & in instanti diffundantur, in ea nimirum, in qua sonus simul auditur, instantique instanti non sit immediatum, aut continuum; sanè successio illa continua esse non poterit. Tertiò: quia lapis supra asserem positus continuè asserem non impellit, sed potius impulsus, & gravitatio, qua asserem deprimit, & fractitat, moris intermittitur: ergo idem de quauis alia alteratione dicendum est: antecedens suadetur: quia alias impulsus lapidis post duos annos, eiusque operatio lapidi impressa prope infinita forent; quod tamen falsum est, cum asser elapsis duobus illis annis nondum fractus sit.

20. Respondeo negatò antecedenti. Ad primam probationem contrariam dicendum est: imprimis ea solum convincit, alterationem totalem, qua integra trabs calefit, continuum non esse, sed morulis innumeris interruptam ob resistantiam ipsius trabis: neutiquam verò ea concludi quamlibet alterationem partialem, qua constat, continuum non esse. Deinde ne hoc quidem probat: sicut enim in spatio ictus oculi sunt prope modum infinita instantia; ita similiter in quavis particula trabis sunt propemodum infinitæ superficies, esto igitur quouis instanti una superficies trabis calefiat; inde tamen non fiet in ictu oculi totam trabem, sed dumtaxat aliquam eius particulam calefieri.

21. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, quod species soni non continuè, sed simul, & in instanti diffundantur in certa aliqua distantia; ac proinde ab earum diffusionem in alia distantia discreta sit; eo quod instans ab instanti discretum, non verò ei immediatum sit. Hoc, inquam, ideo est, quia species contrario carent: cum ergo alia alterationes cum resistantia alicuius

contrarij coniunctæ sint, non est, cur & instantanea, & discreta sint. Aut secundo dic: quamlibet specierum diffusionem partialem continuum esse, esto totalis earum diffusio, quaquaversus auditur sonus, continua non sit. Vtramque solutionem in simili habes inter diluendum anterius argumentum, eiusque secundam probationem. Porro sciscitabitur fortasse aliquis, cur productio totalis specierum soni successiva sit, vel successione continua, vel successione discreta, ut falsi sumus. Respondeo: quia productio specierum soni, earumque diffusio dependet à motu locali soni, qui successivus est: vel enim sonus non producit speciem sui, nisi ubi præsens, vel certè parum indistans est, more quantitatis, quæ tactum per se, aut per speciem non producit, nisi ubi est; atque ita sonus continuè moveri debet, ut species diffundat: cur igitur diffusio specierum continua esse non debeat; sicut motus, à quo dependet, continuus est? Vel sonus producit speciem sui, ubi præsens nullatenus est: & sic non poterit diffundere simul species sui in tota distantia, in qua auditur, sed in parte eius distantie. Unde, ut in alia ulteriori parte eas diffundat, necesse est successivè moveatur versus eam spatij partem, in qua species profunderi debet: ac per consequens una, & alia specierum productio interrupti debet ea temporis mora, quæ necessaria est, ut sonus ab una loci parte ad aliam localiter moveatur, & impellatur. Animadvertite autem ad ea, quæ hic, & paulò superius dixi de sono, & eius speciebus supponi à me disputandi gratia, & quod dentur in rebus tales species, & etiam sonum esse qualitatem absolutam à motu realiter distinctam. Quid autem absolute sentiam de utroque puncto, constabit in loco.

Ad tertiam probationem contrariam dicendum est; lapidem supra asserem insidentem in eum continuo operari, & qualitates ad eius unionem continuam necessarias continuo destruere. Quod autem elapsis duobus annis operatio lapidis in asserem prope infinita, aut etiam absolute infinita sit; non obstat: cum ea infinitas sit proportionalis, & secundum quid, atque adeò insufficiens, ut asserem frangat, atque dissolvat: Sicut etiam calor ut duo infinitas partes proportionales continet, & tamen in sufficiens est, ut frigiditatem omnem aquæ, omnemque temperiem ad eius conservationem necessarium destruat.



TRACTATUS IV.

De motu corporis naturalis ab una substantia ad aliam diversam, siue de conversione substantiali.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit conversio?



CONVERSIO est transitus unius rei in aliam, ligni, verbè gratia in ignem. Quapropter quatuor terminos interiacet, duos terminos positivos, duosque terminos negativos: ex duobus positivis

positiuus alterum à quo, & alterum ad quem: & ex duobus negatiuis similiter alterum à quo, & alterum ad quem: siquidem lignum transit in non lignum, & non ignis in ignem; ubi lignum in ignem conuertitur: ignis autem & non ignis, lignum, & non lignum quatuor termini sunt: partim positiui, partim negatiui: partim à quo: partim ad quem, ut intuenti constabit. Omnis autem conuersio debet esse coniuncta cum pugna circa aliquod tertium positiuum, & reale; quod termino à quo, & termino ad quem successiue commune sit. Qua ratione; lignum, quod in ignem conuertitur, cum eo pugnat circa materiam primam, quæ in utroque successiue eadem est. Ceterum, esto destructo Angelo producatur lapis, Angelus in lapidem non conuertitur: quia inter Angelum, & lapidem nulla pugna naturalis incompossibilitas interuenit: & vnum corpus esto aliud loco expellat, in illud non conuertitur: quia circa locum imaginarium, non verò circa aliquid reale, quod vtriusque intrinsecum esse possit, mutuo pugnant, & incompossibilia sunt.

Porro hæc pugna, & impossibilitas vtriusque termini positiui à quo, & ad quem, esto plerumque naturalis sit, tamen interdum moralis esse potest, & proficisci ex solo beneplacito Dei: quare si Deus statueret, ut in aliquo subiecto lux, & albedo nunquam cohererent; agens, quod subiectum illud prius lucidum dealbaret, sanè & illud de lucido in album conuerteret: & quod illud prius album postea illustraret, certè & illud, de albo in lucidum conuerteret. Probatur: tum, quia impossibilitas moralis vera impossibilitas est, ut in exemplo posito cernere est: cur ergo ad veram conuersionem non sufficiat: tum, quia, si rex alicui senatoris officium auferre, eique officium prætoris eius loco conferre decerneret, profectò senator ille in prætorem conuersus diceretur: & tamen inter vtrumque terminum positiuum eius conuersionis sola impossibilitas moralis ex decreto regis vtrumque officium in eodem concurrere nolentis, non verò impossibilitas physica interuenit: tum denique, quia iustus peccando in peccatorem conuertitur, & è contrario peccator respiciens in iustum conuertitur; tamen iuxta non paucos Theologos inter peccatum, & gratiam iustificantem impossibilitas solum moralis interueniat.

Conuersio multifariam dissecari solet: alia enim est accidentalis, ut cum album in nigrum conuertitur: alia substantialis, ut cum lignum in ignem conuertitur: alia est formalis, cum vna forma in aliam definit, vnaue alteri succedit, ut in duobus exemplis positis cernere est: alia est materialis, cum inuariata forma vnum subiectum alteri succedit, aut in aliud definit. Qua ratione si lux verbi gratia de subiecto in subiectum adequatum migret, non per mutationem loci, sed per mutationem subiecti, quod sub eadem luce modò vnum, modò aliud sit, ut nonnulli à nobis supra lib. 2. tract. 2. cap. 1. citati arbitrantur, sanè vnum lucidum in aliud lucidum conuersione materiali conuertetur. Deinde, conuersio alia est partialis, qua vna substantia manente aliquà eius parte conuertitur, ut accidit in conuersione ignis in lignum: aliàque est totalis, qua vna substantia secundum se totam, & nulla eius parte remanente in aliam conuertitur, quæ transubstan-

tiatio appellatur, & huiusmodi est conuersio, qua substantia panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi in mysterio Eucharistiæ conuertitur.

Quod autem conuersio non solum sit compositi in compositum, verum etiam propriè, & rigorosè loquendo vnius formæ in aliam; ex eo in primis patet, quia non solum compositum produci, verum etiam forma ipsa produci propriè dicitur: quis enim animam rationalem propriè creare, aut equinam generari neget? Cur ergo non solum compositum, verum etiam forma in aliam propriè conuertere negetur? Tum etiam id ipsum liquet ex illo Iacobi 4. cap. ibi: *visus vester in luctum conuertatur, & gaudium in merorem*: quibus verbis vnam formam accidentalem in aliam conuertere Apostolus asserit. Tandem suadetur idem: quia in conuersione materiali, qua vnum subiectum alteri sub eadem forma substantiali, aut accidentali succedit, vnum subiectum in aliud conuertitur: ergo & in conuersione formali, qua vna forma alteri in eodem subiecto succedit, vna forma in alteram conuertitur. Consequentia perspicua est: antecedens suadetur, quia in mysterio Eucharistiæ, quo corpus Christi substantiæ panis sub eisdem accidentibus succedit, vnumque subiectum in ordine ad eadem accidentia vicem alterius gerit, vnum subiectum in aliud propriè conuertitur; nimirum panis in corpus Christi, ut fide sanctum est: ergo &c. Quare nescio, quo iure conuersionem propriam vnius formæ in aliam negarit Pater Agidius de Sacrament. quest. 75. art. 4. dubio 4.

CAPVT II.

An ad conuersionem desitione termini à quo, & productione termini ad quem opus sit?

Illud apud omnes certum, atque exploratum est, in omni conuersione vnius rei in aliam opus esse; ut aliquid de nouo esse definat, aliudque de nouo producatur: quoties enim aliqua res in aliam conuertitur, vna alteri de nouo succedit in aliquo vero, & realimunere; quod absque aliqua desitione, & productione noua inintelligibile est: ubi enim duo in se quoad substantias, & circumstantias etiam omnes immutata maneant, omnisque desitionis, & exceptionis expertia, qua ratione vnum alteri de nouo succedere poterit? Ceterum illud valde controuersum est, an ad conuersionem vnius rei in aliam oporteat, ut id quod conuertitur, siue terminus à quo conuersionis verè in se definat esse; id autem in quod aliud conuertitur, siue terminus ad quem conuersionis verè esse incipiat, & in se de nouo producatur, an verò satis sit, ut circa terminum à quo, & terminum ad quem aliquid de nouo definat esse, aut de nouo ad esse producatur, videlicet vnio, aut præsentia localis, aliudve eiusmodi?

Prima sententia est, ad conuersionem requiri desitionem termini à quo, & productionem termini ad quem: ita P. Suarez tom. 3. in. 3. part. disp. 5. sect. 4. Hurtado disp. 1. de generat. à §. 19. Agidius Conuincit ubi supra ad finem cap. præcedentis citatus, Arriaga disp. 1. de generat. sect. 4.

sect. 3. subsect. 1. ex Nominalibus autem Okamus, & Gabriel. in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 2. & in can. lect. 40. ac denique à Schola Thomistica tantum non omnes. Cuius sententia, quæ communior est, prima pars in hunc modum suadetur. Primò: quia nulla conuersio nobis innotescit de facto existens, cuius terminus à quo esse non desinat: ergo desitio termini à quo ad conuersionem necessaria est: consequentia perspicua est: nisi enim ex iis, quæ de facto existunt & aperta sunt, naturam & essentiam conuersionis metiamur, nulla regula certa ad philosophandum de ea nobis supererit; sed quinis pro libito quiduis comminisci poterit. Antecedens suadetur: quia si de conuersionibus naturalibus sermo sit, nulla est, cuius terminus à quo esse non desinat: album enim verbi gratia non nisi desitione sui in nigrum conuertitur: lignum etiam non nisi prius destructum in ignem mutatur, & sic de reliquis id genus: si verò de conuersione supernaturali panis, & vini in corpus & sanguinem Christi sermo sit, eius etiam terminus à quo, nimirum panis, & vinum esse desinunt.

Secundo: quia in morte hominis homo conuertitur in cadauer; anima verò rationalis in formam cadauericam non conuertitur: non alia ratione, nisi quia homo desinit esse; anima verò rationalis non desinit esse: ergo vt aliquid in aliud conuertatur, conuersionisque terminus à quo sit, opus est, vt esse desinat. Minor, & consequentia perspicua sunt. Maior suadetur: quia cum anima rationalis non incipiat esse ex aliquo, sed potius ex nihilo creetur; non poterit sanè conuerti in aliud, præsertim cum non destruat. Tertiò: quia diuina essentia nequit in aliquid conuerti, aut alicuius conuersionis terminus à quo esse: at non alia de causa, nisi quia desinere esse nequit: ergo &c. Minor, & consequentia in aperto sunt. Maiorem P. Vasquez aduersariorum præcipuus, tom. 3. in 3. part. disput. 184. cap. 4. adeò manifestam iudicat, vt in questionem cadere non possit: eamque luculenter docuit Beatus Thomas 3. p. q. 2. art. 1. vbi loquens de essentia diuina sic ait: *ne ipsa potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis.*

Quartò: quia Christus esto desinat esse sub speciebus panis, iam in Stomacho corruptis, sub iisque ita corruptis, præsertim sub quantitate, alia substantia esse incipiat, nimirum chilus, & postea caro hominis; tamen Christus in chilum, aut carnem hominis non conuertitur: at non alia ratione, nisi quia absolute Christus esse non desinit, esto aliquo munere fungi desinat: ergo absoluta desitio termini à quo ad conuersionem necessaria est. Minor, & consequentia probatione non egent. Maior probatur: quia præterquam quod ex se absurdum videatur, Christum in chilum, carnem, & etiam vermes, ac excrementa conuerti; certè id Sanctis Patribus parum conforme esse apparet, apud quos nihil familiarius, quàm Christum in Sacramento altaris non tam conuerti in sumentem, quàm sumentes in se conuertere: quo certè alludit Author serm. 28. de verbis Domini apud Augustinum, qui censetur esse Ambrosius, aut ex illo ferè ad verbum desumptus lib. 5. de Sacramento, cap. 4. ibi: *non est iste panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vite æternæ, qui anima nostra substantiam fulcit.*

Quinto argui potest: quia Verbum diuinum esto naturam humanam de nouo intrinsecè terminet, ac subsistentem denominet, atque adeò in tempore homo factus sit, tamen in hominem non conuertitur: at non alia ratione, nisi quoniam non desinit esse: hæc ergo desitio necessaria est ad id, vt vna res in aliam conuertatur. Minor & consequentia in propatulo sunt. Maior probatur ex illo Athanasij in Symbol. *Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Demum arguitur: quia vt vnum conuertatur in aliud, conuersionisque terminus à quo sit, opus est, vt in aliud desinat esse: hæc enim duo non solum reciprocari, verum etiam coincidere videntur: opus ergo est, vt absolute esse desinat, cum desinere esse in aliud, absolute desinere esse complectatur.

Posterior verò præfata sententia pars, quæ magis ambigua est, & admissa priore à nonnullis recentioribus negatur, in hunc modum suadetur: nulla conuersio nobis innotescit de facto existens, cuius terminus ad quem de nouo non producat: signum igitur est, de ratione conuersionis eiusmodi productionem esse, vt paulo supra arguebamus. Antecedens quoad conuersiones naturales in conspicuo est: nec enim frigidum in calidum absque caloris productione, nec lignum in ignem absque huius noua productione conuerti vspiam visum sunt: idemque per omnes naturales conuersiones proculdubio tales discurrerent manifestum erit. Quoad conuersionem autem supernaturalem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi id ipsum antecedens suadetur autoritate Sanctorum Patrum, apud quos nihil solemnius, quàm in consecratione fieri, *confici, creari corpus Christi. Panis iste* (inquit Ambrosius lib. 3. de Sacramento, cap. 4.) *panis communis est ante verba Sacramentorum; ubi aduenerit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Et Cyprianus serm. de coen. Dom. de Christo loquens: *qui vsque hodie, inquit, verissimum, & sanctissimum corpus suum creat.* Ratione etiam suadetur idem antecedens quoad posteriorem eius partem: quia nisi conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, horum nouam postularet productionem, solæque productione præsentia eorum accidentalibus sub speciebus consecratis staret; sanè eiusmodi conuersio substantialis non esset: at substantialis est, & transsubstantiatio à Concilio Tridentino inferius citando appellatur: ergo &c. Maior probatur: quia cum vnum corpus substantiale aliud loco expellit, in illud non conuertitur conuersione substantiali, nimirum quia licet ibi vna substantia alteri in præsentia accidentali succedat, tamen nulla substantia re vera producit: quomodo ergo Eucharistica conuersio substantialis esse poterit, si necessario non inuoluit nouam productionem substantia corporis, & sanguinis Christi? Et quidem, nisi productio termini ad quem de ratione conuersionis vt sic esset, non apparet, cur in conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi ea intercedere deberet.

Secundò eadem posterior pars præfata sententia suadetur: quia ad conuersionem necessaria est desitio termini à quo, vt nuper ostensum est: ergo & productio termini ad quem. Tertiò: quia in diuinam essentiam nihil conuerti potest, esto diuina essentia munus aliquod rei creatæ de nouo gerere;

gerere, & loco illius vnionem aliquam intrinsecam in tempore terminare possit: at non alia de causa, nisi quoniam Deitas produci nequit. Quam rationem perspicue tradit Beatus Thomas 3. part. q. 2. art. 1. paulo suprà laudatus. Quarta tandem: forma substantialis alimenti in animam rationalem per nutritionem non conuertitur, esto alimentum in carnem & sanguinem hominis conuertatur, vt compertum est: at id ita se habet, quia quantumuis anima rationalis in eadem materia formæ alimenti succedat, ceterum non producit de nouo, sicut caro, & sanguis hominis de nouo producuntur: vt ergo aliquid sit terminus ad quem conuersionis, siue id, in quod aliud conuertitur, opus est, vt de nouo per actionem conuersiua producat. Maior perspicua est: qua enim ratione forma materialis alimenti in animam spirituales magis conuerti poterit naturaliter, quam lapis in Angelum, aliudve quoduis corpus in spiritum?

12.

Secunda sententia est, ad conuersionem vnus rei in aliam nequaquam opus esse definitione termini à quo, aut productione termini ad quem; sed satis esse, vt vna res alterius munere fungatur, denominationemque aliquam intrinsecam ab aliquo subiecto, siue forma de nouo suscipiat vna, quam alia prius suscipiebat. Hanc sententiam tuentur Scotus in 4. dist. 11. q. 3. art. 2. Lichetus in 4. & dist. 11. q. 4. art. 2. Tartaretus ibidem q. 4. & quodl. 10. q. 1. & Schola Scotistica plerique: ex Nominalibus, Maior, Alliacensis, & alij: ex nostris P. Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 185. & cum eo non pauci. Productionem termini ad quem de ratione conuersionis non esse suadent: quia in mysterio Eucharistiæ vi consecrationis verborum panis, & vinum in corpus & sanguinem Christi verè, & realiter conuertuntur: at vi verborum consecrationis corpus, & sanguis Christi de nouo non producantur: ergo ad conuersionem productio termini ad quem non requiritur. Maior patet, tum ex verbis Concilij Tridentini inferius citandi: tum ex his, quæ habet Ecclesia in profa quadam Missæ corporis Christi ibi: *quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.*

13.

Minor probatur primò ad hominem contra plerisque aduersarios, iuxta quos conuersio postulat physicam impossibilitatem, & oppositionem inter existentiam termini ad quem, & existentiam termini à quo: qua ratione ignis ligno opponitur, nec sufficit, quod oppositio inter vtrumque terminum moralis sit, & ex solo placito Dei volentis alterum producere, nisi destructo altero: aliàs inquirunt, quod actio aliqua conuersiua esset, non ex natura sua, sed ex extrinseca Dei voluntate haberet: Quod tamen tam repugnat, quàm quod modus aliquis non à se ipso, sed ab extrinseco Dei libito habeat, quod duratio, vbicatio, aut creatio sit. Contra hos, inquam, minor probatur: quia existentia corporis, & sanguinis Christi, eorumque noua productio cum existentia panis, & vini nullam repugnantiam aut oppositionem physicam sortitur magis, quàm productio pristina, qua in cælis semper conseruatur: solaque accidentalis præsentia eorum sub speciebus panis, & vini cum horum destructione naturaliter coniuncta, & connexa est: igitur noua illa productio corporis, & sanguinis Christi ad conuersionem Eucharisticam non attinet.

14.

Deinde eadem minor suadet, quia humani-

tas Christi Domini in institutione venerabilis Sacramenti eius conuersionis causa fuit, vel per modum instrumenti physici, vel per modum instrumenti moralis, vt compertum est: imò eiusmodi conuersionem Eucharisticam, quoties de facto fit, sicuti & reliquorum donorum supernaturalium, ac miraculorum productionem, qualiscumque ab initio Ecclesiæ fuerit, futurave sit in humanitatem Christi velut causam refundendam esse pie, & probabiliter credi potest, vt docet P. Suarez de Incarnat. disp. 31. sect. 2. dub. 2. At humanitas Christi non fuit causa per modum instrumenti physici, aut moralis productionis terminata ad corpus, & sanguinem suum: eiusmodi ergo productio noua conuersionem Eucharisticam non constituit, deque eius ratione non est. Minor proxima suadet: quia in primis humanitas Christi, siue eius corpus, & anima productionis illius causa non sunt per modum instrumenti physici, aliàs se ipsa physice, & immediate causarent, seque ipsis priora ordine naturæ futura essent; quod tamen suprà lib. 4. repugnare ostensum est. Deinde: per modum instrumenti moralis eius productionis causa esse non possunt: ideo enim corpus, & anima Christi se ipsa physice causare non possunt, quia aliàs antequam existerent, pro priori naturæ extitisse intelligerentur: at hoc idem sequeretur ex causalitate morali, quæ se ipsa causarent, cum causa etiam moralis pro priori naturæ ad suum effectum postulet existere.

Rursus, eadem minor suadet ex Concilio Tridentino sess. 18. cap. 4. ibi: *Quoniam autem Christus. Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persua sum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denno sancta Synodus declarat, per conuersionem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius: qua conuersio conuenienter, & proprie à sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.* Ex quibus verbis in hunc modum argui potest, & solet. Ex sola veritate verborum Christi colligit Ecclesia, conuersionem substantialem panis, & vini in corpus & sanguinem Christi vi verborum consecrationis fieri: at seorsim à noua productione corporis, & sanguinis Christi, eo ipso quod sub speciebus panis, & vini esse incipiant, sub iisque panis, & vinum esse desinant, verba consecrationis; nimirum *hoc est corpus meum, & hic est enim calix sanguinis mei,* &c. vera erunt: igitur sine noua productione corporis, & sanguinis Christi potest fieri transubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi Domini, ac proinde eiusmodi noua productio de ratione transubstantiationis, siue conuersionis Eucharisticæ non est, nec de facto admittenda est. Vno verbo: nihil aliud requiri potest ad conuersionem Eucharisticam, quam quod ad veritatem verborum Christi requiritur, cum ex hac illam inferat Concilium: ad hanc autem non est opus noua productione corporis, & sanguinis Christi: ergo nec ad illam.

Definitionem autem termini à quo de ratione conuersionis non esse suadent Authores secundæ sententiæ: tum à paritate rationis, nec enim est potior ratio, cur terminus à quo conuersionis desinere esse debeat, quàm terminus ad quem incipere

15.

16.

at inceptio termini *ad quem* non est de ratione conuersionis: ergo nec desitio termini *à quo*: tum iisdem ferè argumentis, quibus productionem termini *ad quem* de ratione conuersionis non esse nituntur: siquidem in primis si desitio termini *ad quem* de ratione conuersionis esset, maximè vt esset effectus productionis termini *ad quem* ex ea naturaliter, & inenitabiliter sequens, vt in conuersione ligni in ignem vsuuenit: atqui desitio, aut annihilatio panis, & vini non est effectus productionis corporis, & sanguinis Christi eam naturaliter, & infallibiliter consequens, cum potius ex sola vnione corporis, & sanguinis Christi cum speciebus panis, & vini horum desitio, & in nihilum reditio naturaliter, & infallibiliter profiscatur. Deinde ad veritatem verborum consecrationis opus non est, vt substantia panis, & vini absolute esse desinat, sed satis est, vt sub speciebus panis, viniq; esse desinat; & respectu illarum munus causa materialis, siue substantiæ exerceat: ergo ea desitio non est necessaria ad conuersionem Eucharisticā, quæ ex sola veritate verborum consecrationis ab Ecclesia colligitur.

17. Secundo pro secunda sententia argui potest: quia forma substantialis alimenti conuertitur in animam rationalem vi actionis nutritiue: at anima rationalis vi actionis nutritiue de nouo non producit, cum ante eam producta supponatur: ergo ad conuersionem productio termini *ad quem*, ac per consequens nec desitio termini *à quo* necessaria est. Maior probatur: quia forma substantialis alimenti non creatur: ergo nec annihilatur: ergo non desinit in nihil: ergo desinit in aliquid: forma autem substantialis in aliquid desinit non nisi in aliam formam desinere potest: sicut compositum desinens, & in corruptionem abiens in aliud compositum desinit: ergo forma substantialis alimenti in animam rationalem desinit: nec enim est alia forma, in quam desinere possit, atque aded in animam rationalem conuertitur: conuerti namque in aliud, & in aliud desinere esse recipiuntur.

CAPVT III.

Nostra sententia proponitur, & quadam corollaria ex ea inferuntur.

18. **Q**uestio hæc inter Authores tantoperè controuersa merè vocalis est & tota in hoc vnum reuocatur: an successio vnus rei loco alterius quoad aliquid vtrique commune, absque vlla, vtriusque productione, aut desitione conuersio vocitanda sit? Id quod P. Agidius de Sacrament. q. 75. art. 4. & P. Arriaga disp. 1. de generat. sect. 4. rectè annotarunt. Quare cum plures præfatam successionem, & vicissitudinem duarum rerum siue noua vnus productione, & alterius desitione conuersionis nomine subintelligi velint; alij autem, iique non pauci nouam vnus rei productionem cum alterius desitione coniunctam voce conuersionis subaudiri malint: ipse cum vtriusque, & non magis cum his quam cum illis loquendum arbitror. Cum enim voces id significant, quod homines per eas significare volunt; & vna conuersionis significatio aliquibus, alia aliis magis ardeat, sanè vtraque amplectenda, & neutra rei-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

cienda est. Quamquam autem questio hæc merè vocalis sit, magni tamen habenda est, eo quod ad conuersionem Eucharisticam explicandam, eamque aduersus sectarios, præsertim nobis caruos defendendam magnoperè conferat.

19. Igitur conuersio bifariam sumi potest: primò, prout est actio destructiua vnus, & productiua alterius cum lucta inter vtrumque ob aliquod intrinsecum, & reale, quod ab vno aufertur, & alteri confertur: qua ratione elementa v.g. in mixtâ conuertuntur, & mixta in elementa reuertuntur. Secundo sumi potest conuersio prout est successio quadam duarum rerum, quarum altera in aliquo tertio vtrique communi succedit alteri, cuique vicem gerit, & munere fungitur: esto neutra denuo desinat, aut denuo producat: qua ratione substantia panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi conuertitur, & qua ratione quamuis calor antea productus subiecto frigido postea vniretur, frigusque expelleret id satis esset, vt quis de frigido fieret calidus: ac proinde vt frigus in calorem conuerteretur. Et quidem conuersionem significare actionem constat ex Aristotele 1. de generat. capite 1. vbi desinit, *generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili manente, vt subiecto eodem*: at mutatio totius in totum est conuersio: ergo generatio, siue actio in conuersione, ac per consequens hæc in actione ab Aristotele constituitur. Quod autem conuersio sit successio quadam, aut ordo rerum, qua altera succedit alteri, constat ex B. Thoma 3. part. questione 73. art. 4. ad 1. ibi: *unde cum hac conuersio substantialis importet quandam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est sicut in subiecto in vtrâque substantia, sicut ordo, & numerus*: quibus verbis conuersionem substantialem vnus substantiæ in totam aliam docet, non tam esse actionem, aut relationem transcendentalem, quam relationem prædicamentalem vnus substantiæ succedentis alteri, cum vtrâque realiter identificatam, haud aliter ac ordo, aut numerus sunt relationes prædicamentales, quæ in rebus ordinatis, & numeratis per identitatem reperiuntur.

20. Explicatur appositissimo exemplo: creatio bifariam significat: primò productionem rei cum nouitate essendi, siue inceptione: qua ratione res dum continuè conseruatur, non creatur: & in hoc sensu dicitur Deus in Genes. c. 2. die septima, requieuisse ab vniuerso opere suo, eo quod eo die transacto mundum amplius non crearet, sed solum conseruaret. Secundo significat creatio productionem rei præscindendo ab inceptione, & nouitate essendi: qua ratione ab Augustino c. 12. de Genesi ad litteram, dicitur creatura quamdiu à Deo conseruatur, ab eo semper fieri, & creari: ibi, *sicut aër præsentis lumine non factus est lucidus, sed fit, & paucis intercisit: semper ab illo fieri, semperque perfici debemus inherentes ei, &c.* vtrâque creationis rationem scitè complexus est D. Thomas q. 3. de pot. art. 3. ibi: *creatio importat relationem prædictam cum nouitate essendi: unde non oportet, quod res quandocunque est, creetur; licet semper referatur ad Deum: quatinus non esset inconueniens dicere, quod sicut aër quandiu lucet, illuminatur à sole; ita creatura, quandiu habet esse, fiat à Deo.* Quemadmodum ergo creatio modo significat nouitatem essendi, modoque eam

Ad non

non significat: ita similiter conuersio termini *ad quem* nouam productionem, nouamque termini *à quo* modo significat, eamque modo non significat, sed successionem, & ordinem eorum hactenus explicarum.

21.

Potro autem cum terminus *à quo* & terminus *ad quem* adæquatè non distinguuntur, sed vel eodem subiecto, vel eadem forma constituuntur: tunc conuersio vnius in alium formaliter in actione productiua termini *ad quem*, & destructiua termini *à quo* consistit: & hac ratione album in nigrum, lignum in ignem, & quoduis compositum substantiale, aut accidentale in aliud conuertitur. Cum verò terminus *à quo*, & terminus *ad quem* adæquatè distinguuntur; tunc conuersio vnius in alium non in actione, sed in successionem, & vicissitudine quadam formaliter sita est: & hac ratione quauis forma in aliam conuertitur; quamuis enim, ubi frigus verbi gratia in calorem conuertitur, calor producat de nouo, ea tamen productio impertinenter se habet ad hoc, vt frigus in calorem conuertatur: namque vt supra hoc ipso cap. dicebam, licet calor non produceretur de nouo, sed post suam productionem, vel extra subiectum, vel in alio subiecto, vniretur huic subiecto frigido, & ab eo frigus depelleret, sanè id sufficiens esset, ad hoc vt quis redderetur de frigido calidus, vtque eodem redit, frigus conuerteretur in calorem, & hac etiam ratione substantia panis, & substantia vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi conuertuntur.

22.

Hinc colligitur primò, decisio illius quæstionis; an quæuis res creata in quamuis aliam conuertere possit? Cuius partem affirmantem tuerentur Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. D. Thom. 3. p. quæst. 75. art. 4. ad 3. Caietanus ibi. Richardus, Maior, Capreolus, Guillelm. de Rubione Gabriel, Bellarminus de Eucharist. cap. 13. negantem verò tuerentur Durandus in 4. distinctione 11. quæstione 2. & qu. 3. Paludanus, Canus, Vasquez, & alij. Verum conuersio distinguenda est: & si sumatur prout est actio, & identitatem inadæquatam termini *à quo*, & termini *ad quem* importat, insiciendum est, quodlibet conuertere posse in quodlibet; cum qualibet inuicem inadæquatè identificari, & subiecto, formæ communicari non possint. Quod si sumatur conuersio, prout est successio, seu vicissitudo, aut ordo quidam; tunc quodlibet in quodlibet conuertere potest: cum nulla res creata sit, quæ alteri in eadem materia, aut in eadem forma, aut saltem sub iisdem accidentibus succedere non possit: si quæ enim res alteri ne in iisdem accidentibus succedere posset, maxime Angelus corpori, aut corpus Angelo: at utraque successio possibilis est: prior quidem: quia sicut corpus Christi quamuis in Eucharistia modo spiritali existat, tamen panis sub eius accidentibus succedit; ita similiter Angelus, quantumlibet spiritus sit, corpori tamen sub eius accidentibus succedere poterit. Posterior etiam successio possibilis est, nimirum si Angelus accidentia corporea dimittat, eaque corpori, cuius sunt, cedat, atque restituat. Quod autem ait Augustinus lib. 7. de Genesi ad literam cap. 12. ibi: *Corpus autem aliquod, siue terrenum, siue cæleste conuertere in animam, fierique naturam incorpoream, neque quenkum sensisse scio;*

neque fides hoc habet: hoc, inquam, Augustini testimonium de conuersione, prout est actio, & cum identitate coniuncta est, non verò de ea, prout est successio, & cum adæquata distinctione terminorum *à quo* & *ad quem* coheret, intelligendum est.

23.

Colligitur secundò decisio illius quæstionis; an aliqua creatura possit conuertere in Deum, aut Deus in aliquam creaturam? Cuius partem negantem tuerentur B. Thomas ubi supra. Scotus quodlib. 8. art. 1. Vvaldensis t. 2. de Sacrament. cap. 20. Paludan. Gabriel, Scotus, Henricus, Ledesma, Suarez, & alij. Affirmantem autem tuerentur Caietanus, Maior, & alij. Cæterum, distinguenda est conuersio: & prout est actio destructiua termini *à quo*, & productiua termini *ad quem*, & vtriusque identitatem in aliquo importat, sicut in ligno in ignem conuersio vsuuenit; hoc, inquam, sensu creatura in Deum, aut Deus in creaturam conuertere non potest: eo quod Deus, & creatura nulla ratione identificari possint, iuxta illud Athanasij in symbolo: *vnus autem non confusione substantia, sed unitate persone*: & etiam eo quod Deus destrui, aut produci nequeat; vti D. Thomas cap. superiori citatus ratiocinatur. Quod si conuersio sumatur prout est successio, & ordo omnis confusionis, aut identitatis expers, non conspicio, cur creatura aliqua in Deum, Deusque in creaturam hoc sensu conuertere nequeat, cum creatura Deo Deusque creatura quoad aliquam denominationem intrinsecam, & realem succedere possit: Quæ ratione, si Deus naturam humanam Petri eius substantia spoliaret, eamque sibi hypostatice vniret, sanè substantia Petri in substantiam Dei conuersa esset, Petrusque in Deum conuerteretur: deinde si Deus substantiam illam Petri dimitteret, eamque substantiam Petri restitueret; sanè substantia Dei in substantiam creatam Petri rediret, & Deus in Petrum iteratò conuerteretur: & quidem sicut Deus potuit incipere homo esse absque sui mutatione, vt explicat Augustinus 3. de Trinitat. cap. 12. & similiter desinere esse homo absque sui mutatione: non est, cur absque vlla mutatione nequeat esse terminus *à quo*, & terminus *ad quem* conuersionis; quin ob id in illum vlla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio cadat.

24.

Verum, quia hic loquendi modus de Deo plerisque Theologis religionem iniicit; ideo dici potest nihil in Deum conuertere posse, aut è contra: primum, quia vt ait Scotus, ad conuersionem non solum necessaria est successio, quæ vna res alterius munus aliquod etiam intrinsecum obeat, eiusque vices fungatur: verum etiam, vt ea successio fiat virtute alicuius agentis superioris, cuius arbitrio, & dominio terminus *à quo*, & terminus *ad quem* subditi, atque obnoxij sint: cum ergo Deus arbitrio nullius agentis superioris subiici posset, sanè terminus *à quo* aut *ad quem* conuersionis esse non poterit, quantumlibet alicui creature succedere, aut è contrario possit. Secundo: quia ad conuersionem requiri potest successio non qualis qualis, sed ea, quæ vera mutatio termini *à quo*, & termini *ad quem* sit: cum ergo Deus immutabilis sit, sanè conuersionis terminus *à quo*, aut *ad quem* esse non poterit.

poterit. En nostram de conuersione sententiam inter duas cap. precedenti propositas, & extreme oppositas mediam; vti nam eo nomine magis ruit: reliquum est, vt aduersariorum argumenta dissoluamus.

CAPVT IV.

Argumenta contraria soluntur.

25.

AD primum argumentum pro prioris sententia priore parte, respondeo: nulla creatio est de facto, quæ cum nouitate essendi coniuncta non sit: nulla, inquam, creatio à conseruatione distincta: at possibilis est creatio à conseruatione distincta, quæ cum nouitate essendi non cohareat: nimirum ea, qua Deus aliquid ab æterno independentem à subiecto primo produxisset: ergo similiter, esto nulla sit conuersio de facto, quæ cum noua termini à quo definitione connexa non sit, tamen possibilis erit, &c. Deinde respondeo: datur etiam de facto conuersio absque ea definitione termini à quo, cum anima rationalis absque sui definitione in formam cadauericam per successionem quandam conuerteretur. Hinc ad secundum argumentum conuertitur: Ad tertium, & quintum cap. precedenti ad finem respondi.

26.

Ad quartum respondeo; corpus, & sanguinem Christi corruptis speciebus consecratis conuertere posse, & solere in carnem comedentis in chilum, phlegma, aliaque si maius viliora: conuertere, inquam, per successionem, aut ordinem toties explicatam; eo quod corpus, & sanguis Christi sub iisdem accidentibus, præfatis substantiis de nouo productis succedat: vel quia eadem quantitas, quibus corpus Christi, & eius sanguis suberat, in iis remanet: vel si quantitas indistincta non est à re quanta, quia ex tot accidentibus consecratis quantumuis corruptantur; incredibile est, aliqua non superesse, omniaque penitus interire. Vt enim bene philosophatur in præfati Arriaga; plus est Deus, quantus est, hypostatice vniri carni, chilo, phlegmati, nostrasque sordes induere, quam eius corpus, & sanguinem in præfatas substantias conuertere per meram successionem absque villa cum eis identitate: at illud prius non repugnat: cur ergo posterius? Quod autem aiunt Patres, Christum in Sacramento Venerabili non conuertere in carnem comedentis, sed potius comedentem in Christum conuertere, intelligendum est de conuersione, non prout est successio, sed prout est actio, & identitatem importat: quasi dicerent, corpus, & sanguinem Christi non conuertere per identitatem physicam, & inadæquatam in substantiam comedentis, vti in reliquis alimentis accidit, sed potius comedentem conuertere per identitatem quandam affectiuam in eum, à quo comeditur. Ad sextum respondeo: definire esse in aliud prout ad terminum à quo conuersionis oportet, est definire esse absolute, & verè, non tamen in se semper, sed interdum quoad aliquod eius accidens: hac autem ratione omne, quod in aliud conuertitur, iuxta nostram sententiam esse definit.

27.

Ad primam rationem pro posteriori parte eius sententia respondeo; esto nulla sit de facto con-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

uersio, cuius terminus ad quem de nouo productus non sit; inde tamen effici non posse, eiusmodi productionem de ratione conuersionis ut sic esse: vti supra initio huius capituli monuimus. Deinde conuersio Eucharistica panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi cum productione noua corporis, & sanguinis Christi coniuncta non est. Ad primam probationem oppositam desumptam ab autoritate Patrum respondeo; cum docent, corpus Christi creari, confici, fieri, &c. eos intelligendos esse non de creatione, & effectione physica, sed de creatione, & effectione morali; qua perinde corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini collocantur; ac si ex pane, & vino verè, & physice efficerentur, eorumve loco strictè crearentur. Quam solutionem in hunc modum confirmo: quia non magis asserunt Patres corpus, & sanguinem Christi in Sacramento altaris creari, confici, aut fieri ex pane, & vino; quam panem, & vinum esse post consecrationem corpus, & sanguinem Christi: at hæc posteriora verba Sanctorum Patrum non significant veram, & physicam identitatem inter substantiam corporis, & sanguinis Christi, & substantiam panis, & vini, cum eiusmodi identitas adæquata, aut inadæquata nulla admitti possit, ut compertum est: sed solam identitatem moralem, qua corpus, & sanguis Christi substantia panis, & vini perinde succedunt, ac si more ignis ex ligno producti veram identitatem inadæquatam cum eis haberent: ergo similiter priora SS. Patrum verba non productionem aliquam physicam terminatam ad substantiam corporis, & sanguinis Christi, sed solam moralem significant. Maior probatur: rum ex Damasceno libro 4. de fide capite 14. ibi: *quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione*: idemque habetur in cap. ego Berengarius de consecratione, distinctione 2. ibi: *panis, & vinum post consecrationem sunt verum corpus, & sanguis Christi*: idem passim apud alios Patres habetur.

28.

Secundo ad eandem probationem respondeo; in iis propositionibus, in quibus asserunt Patres ex pane creari, confici, aut fieri corpus Christi, sermonem ipsis esse de actione, quæ, cum terminetur ad solam præsentiam Christi sub speciebus panis, translative tamen dicitur, terminari ad corpus Christi. Quam solutionem ita suadeo: in 8. synod. act. 6. sess. 3. circa finem dicitur ibi: *verè nos confitemur diuinum corpus panem fieri*: at cum corpus Christi dicitur fieri panis, non est intelligenda ea locutio de actione, quæ ad substantiam panis verè terminetur, cum ea desinat potius, quam producat; sed de ea actione, quæ ad accidentia panis ei superstitia, seu, ut verius loquar, ad eorum præsentiam, & vñionem terminetur; in hunc autem similem fandi modum: *corpus Christi fit id, quod accidentibus panis subest, ac præsens est*: ergo etiam cum è conuerso dicitur panis fieri corpus Christi, neuiquam intelligenda est ea locutio de actione, quæ ad corpus Christi verè terminetur, sed tantum de ea actione, quæ verè terminatur ad sola accidentia, quibus corpus Christi subest, & præsens est, reduplicatiue in quantum iis subest, ac

Aa 2 præsens

præfens est, quæque verè ad eam præfentiam, & denominatiuè tantum ad ipsum Christi corpus terminetur.

29.

Ad secundam probationem oppositam respondeo; esto in conuersione Eucharistica sola accidentalis vnio, & præfentia corporis Christi per actionem adductiuam producat, & substantia ipsius corporis denuo improducta sit; hoc tamen non obstante eam conuersionem substantialem esse: quia licet actionem illam adductiuam præsupponat, in ea tamen non consistit, sed in ordine, & relatione successione, cuius fundamentum est substantia panis, & terminus ad quem substantia corporis Christi: ac proinde ea relatio, & conuersio in ea sita substantialis censenda est. Cum autem vnus corpus alteri in eodem loco per actionem adductiuam succedit, nulla ibi conuersio substantialis est: non quia actio eam successione fundans merè adductiuam, & accidentalis est, sed quia absolute nulla ibi conuersio est, eo quod nihil intrinsecum, & reale vtrique corpori commune sit, aut ab vno ad aliud transeat: conuersio autem substantialis conuersionem absolutam includit, & sine ea stare non potest. Quod si conuer-

sio Eucharistica in actione adductiuam formaliter consisteret, vt complures asserunt, non conspicio sanè, qua ratione ea conuersio substantialis defendi posset. Ad secundum, & tertium argumentum pro eiusdem sententiæ posteriori parte supra cap. 2. & 3. factum est satis. Ad quartum etiam respondeo; formam alimenti in animam rationalem per successionem, & ordinem conuerti, vt cap. 3. ad finem probatum manet.

Argumenta pro secunda maiori ex parte efficacia sunt: illudque, ni fallor, manifestè conuincunt, conuersionem aliquam sine desitione termini à quo, aut productione termini ad quem stare posse: quæ altera nostræ sententiæ pars est. Cæterum non conuincunt, nec possunt, conuersionem in alio sensu usurpari posse, in quo sine desitione vnius termini, & productione alterius nunquam stare queat: quæ nostræ sententiæ posterior pars est. Et quidem, quoties conuersio in hoc secundo sensu usurpatur, in eo nec panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, nec vlla forma in aliam formam, vllumve subiectum in aliud conuerti possunt, vt supra fusè exposuimus.

30.

LIBER SEPTIMVS

DE

Loco, tempore & infinitate corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De Loco corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An Locus, & Vbi distinguantur inter se, & à substantia corporis naturalis, alteriusve rei locata?

I.

QUANTVM mea opinio est, Vbi prædicamentale nihil aliud est, quàm locus cuiusque rei, & è conuerso. Verùm quia neoterici contra communem veterum Philosophorum sententiam tumentur, vbi non esse locum, sed potius entitatem quandam à loco, & re locata distinctam, aut certè in vtriusque complexo sitam: ideo propositam sententiam hunc in modum probo, & confirmo: rem esse alicubi est aliquem locum habere, & eam esse vbicunque est omnem, & quemcunque locum habere: locus ergo, & vbi coincidunt, si communis omnium loquendi, & sentiendi modus spectetur. Deinde, sicut interroganti qualis sit res, responderi solet eam talem esse, v.g. albam, aut nigram: ita interroganti, vbi sit res, responderi solet, eam esse hîc, siue hunc locum habere: at qualitas, & talitas rei, siue forma denominans rem qualem, & forma denomi-

nans talem est omnino eadem: ergo etiam vbi, & locus, siue forma denominans rem vbilibet se habentem, ac forma denominans rem locatam est omnino eadem. Rursus: illud, quo res corporea versus longum, latum, & profundum extenditur, est vbi partium illius, quo nimirum aliæ extra alias sunt: at extensio rei corporeæ quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem, est eius spatium, siue locus: igitur etiam vbi rei eius spatium, seu locus est. Maior indubitata est: minor etià non videtur posse negari, ad eaque respexit ille Met. 3.

Dum spatium victor victi considerat hostis.

Vbi Cadmus extensionem, & magnitudinem serpentis à se interfecti considerans, eius spatium considerare, & admirari dicitur.

Præterea spatium loci est id, quod per motum localem conficitur: at solum vbi rei intrinsecum per motum localem conficitur, ac denuo producit: spatium ergo rei eius vbi est. Minor perspicua est, & statim inferius ostenderetur: maior etiam vsque adeo nota est, vt nihil communius apud omnes dici solet, quàm spatium tot leucarum v.g. tanto, vel tanto tempore confici, aut peragi posse: spatium ergo loci efficitur, atque producit. Tandem locus vt formaliter, ac

2.